2

Ordinis Philoſophorum in Academia
Vitembergenſi Aſſeſſoris,

IVDAICO-

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DETECTVS,
BREVITERQVE DELINEATVS.

VITEMBERGAE,

ANNO MDCC VII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS
MAGNIFICO AC SVMME REVERENDO,

DN.

D. SAM. BENEDICTO CARPZOVIO,

THEOLOGO FAMA MERITISQVE SVMMO,

SERENISS. REGI POLONIARVM ET ELECT. SAXON.
A SACRIS PRIMARIIS ET CONSILIIS ECCLESIASTICIS,

*VIRO
DE SINGVLIS MVNERIBVS AETERNVM BENE MERITO,*

Digitized by Google

NEC NON

SVMME REVERENDO ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DN. IOANNI GEORGIO NEVMANNO,

SS. THEOLOGIAE D. ET PROF. P. FAMIGERATISSIMO,

CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSESSORI,

ACADEMIAEQVE BIBLIOTHECARIO GRAVISSIMO,

h. t. FACVLTATIS THEOLOGICAE

PRO-DECANO

SPECTATISSIMO,

DOMINIS AC PATRONIS MEIS SVMMOPERE OBSERVANDIS,

IN OBSEQVII ET GRATI ANIMI TESSERAM VETERI CLIENTVM MORE

DAT DICATQVE

PAVLVS BERGERVS.

Digitized by Google

A *Vſus ſum inclutis veſtris nominibus Commentationem de* Cabbaliſmo Iudaico-Chriſtiano *inſcribere, quam non ita pridem in cathedra publica me Praeſide, eximius iuvenis,* M. CHRISTIANVS LEHMANNVS, Numb. *defendit. Qua ſi audacius Muſarum veſtrarum verenda irrupiſſe videar, veniam me impetraturum confido. Singularis enim pietas et mentis religio, qua utrique veſtrum obſtrictus teneor, me admonuit, et adegit plane, ut publicum aliquod meæ in vos obſervantiæ da-*

*rem documentum. Alterum nimi-
rum Patronum ſummum et for-
tunarum mearum ſtatorem ve-
neror; cuius patrocinio publicis
hactenus beneficiis ſuſtentatus
ſum. Alterum incomparabilem
ſtudiorum amplificatorem non
minus, ac vitae rectorem et ma-
giſtrum multis ab hinc annis co-
lui, a cuius ore, iuxta cum tot a-
liis, me pependiſſe in maxima fe-
licitatis parte collocavi. Quid?
quod ipſa materiae dignitas ve-
niam audaciae meae impetrabit,
nec Vobis, ut opinor, diſplicebit,
quippe de qua conſtat, quod iam*

olim

olim viros eruditos exercuerit, & hodie quam maxime controverſa ſit. Quo nomine Vobis, ſumma, qua par eſt, animi demiſſione hoc argumentum perlegendum exhibeo, Vobisque, tanquam cordatis et aequis rerum aeſtimatoribus diiudicandum relinquo. Veſtram enim cenſuram, ſi ſuſtinuerim, gaudebo, nec frivolas aliorum roſiones et obtrectationes extimeſcam. Ego vero Deum ardentiſſimis fatigabo precibus, ut utrumque Veſtrum, in Eccleſiae purioris ſolatium, ſalvos et incolumes, una

cum

Digitized by Google

cum ſplendidiſſimis veſtris familiis ſervet, et his praeſertim exulceratis temporibus ab omni fatorum iniuria immunes praeſtet ac tueatur.

VV. SVMME REVEREND. MAGNIFICENT. AC EXCELLENT.

VITEMBERGAE SAXONVM.
IDIBVS OCTOBRIBVS,
A. cIɔ Iɔcc VI.

Obſequentisſimus obſervantisſimusque

PAVLVS BERGERVS,
Fac. Phil. Adj.

Q. D. B. V.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

PRAEFATIO.

QVanquam per omnem retro aetatem non defuere, qui divina veritatis luce neglecta *Cabbalam*, inſignem illam Iudaicarum Paganarumque ſuperſtitionum Pandoram, mirifice excolere, eandemque reliquis fere omnibus ſcientiis praeferre non dubitarunt; nemo tamen, niſi, qui harum rerum ignarus plane ac hoſpes ſit, facile inficiabitur, hoc maxime, quo degimus, aevum ita ferax nugarum eſſe fanaticarum, ut, ſi libros Cabbaliſticos ſpectes, ubertate ſua & copia cum aliis quibuscunque ſeculis contendere poſſe videatur. Etenim, ut taceam *Io. Carol. Saracenum, Io. Picum Mirandulanum, Io. Reuchlinum, Paulum Riccium, Archangelum Burgonovenſem, Cornel. Agrippam, Petrum Galatinum, Robertum Fluddum, Bened. Pererium, Nicol. Serarium, Claudium Duretum, Maximilianum Sandaeum, Petrum Georg. Toloſanum, Athan. Kircherum, Iac. Bonfrerium, Theoph. Reymundum, Iacob. Gaffarellum, Jul. Sperberum, Caſpar. Schottum, Fr. Merc. Helmontium, Paracelſum*, ejusque aſſeclas, *Weigelianos, Schwenckfeldianos, Fratres roſeae crucis, Boehmiſtas*, atque alios myſterii Cabbaliſtici

Digitized by Google

ſive interpretes, ſive propugnatores, qui longo abhinc tempore reconditam hanc artem in deliciis habuerunt, atque hinc frigidam ſuffuderunt Fanaticis, noſtra demum tempeſtate, agmine quaſi facto, alii prodierunt, qui, ut maiorem ſanctitatis et illumnationis gradum affectant, ita etiam omne, quod planum ac pervium eſt, ſcientiarum genus reiiciunt, nec alias facile artes, niſi, quae abſtruſae profundaeque ſunt, conſectantur. Qua de cauſa non ſolum ſublimem illam, ſive, ut vocant, Theologiam Myſticam, ab otioſis Monachis iam olim adornatam, iterum incruſtant, novisque hypotheſibus interpolatam Chriſtiano orbi obtrudunt; ſed ex intempeſtivo innovandi pruritu ulterius quoque progrediuntur, et in perplexa obſcuraque philoſophandi ratione, quae Cabbalae nomine inter eruditos iam pridem appellari coepit, deſudant toti. Hanc rerum humanarum divinarumque ſcientiam vocant, hanc ipſum Deum autorem agnoſcere, hanc ſanctiſſimis olim in gente Ebraea viris receptam fuiſſe, hanc denique hodienum non, niſi ſanctis puriſque mentibus, accedente ſimul revelatione divina, obtingere poſſe contendunt. Quid? quod inſignem utilitatem adferat ad intelligendas riteque explicandas utriusque Foederis ſcripturas, adeo, ut, qui eam ſubinde non vocet in ſubſidium, in genuino ſenſu vexatorum Scripturae locorum eruendo operam et oleum ſit perditurus. At enim vero, cum nec ipſi negare poſſint, quod Cabbala inſanas plane et Chriſtianae fidei e diametro contrarias ſententias hinc et inde foveat, non deficiunt colores et fuci, quibus enormes hos naevos pingant atque exornent. Cabbalam enim in *veterem*, quam Patriarchis et Prophetis V. T. receptam fuiſſe volunt, et in *recentiorem*, quam ineptiis quibusdam refertam fatentur, diſtingvunt, et priorem ſe amplecti inquiunt, poſteriorem repudiare, quippe, quam ceu ſpuriam

ſpuriam genuinae illi recentiores quidam, ſive Iudaei, ſive Chriſtiani, adiunxerint. Quicquid autem coloris ſit, quo ſuum hoc commentum obducunt recentiores, tamen nihil inter utramque diſcriminis intercedit, niſi hoc, quod antiquam illam, quam profitentur, hypotheſibus novis involvant et ad Chriſtianam religionem accommodent, ſic, ut nova quaedam Cabbala omni iure dici mereatur. Inter hos autem, qui Cabbalam ſic adornant, primo loco ponendus eſt *Stephanus Rittangelius*, qui e Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum converſus, inſimul etiam admodum laboravit, ut dogmata Iudæorum Cabbaliſtica ad Chriſtianam fidem deflecteret, commodeque cum hac, coacte licet, combinaret, uti liber *Iezira*, notis ab eo illuſtratus, atteſtatur, quem pro ea, qua pollet, eruditione, ex merito ſolideque perſtrinxit Venerandus Dn. Bücherus, *Menſe IV. Pietiſtico.* Maiori tamen adhuc, etſi minus felici, auſu Cabbaliſmum recoxit *D. Henr. Morus*, Philoſophus et Theologus apud Anglos notisſimus, Vir ad omnis generis figmenta illuſtranda natus quaſi et factus, ſiquidem omnia Cabbaliſtarum dogmata pro lubitu interpretatus eſt, et, ut uberius dicam, ex ſui ingenii indole contudit, finxitque et refinxit, adeo, ut tandem, ubi ſubſiſtat, non inveniat. His tamen omnibus ſine controverſia palmam praeripuit *Chriſtianus Knorrius a Roſenroth*, Aulae Sulzbacenſis Cancellarius, princeps ille Cabbaliſta et illuſtris Compilator operis, quod ſub titulo *Cabbalae Denudatae* lucem adſpexit. Hic certe Vir, licet laude ſua minime ſit privandus, quod indefeſſo ſtudio et incredibili plane labore vetuſtisſima quaeque Iudaeorum dogmata e tenebris obſcurisſimis protraxit, in eo tamen quam maxime eſt reprehendendus, quod in gratiam Iudaeorum dogmata Chriſtianae fidei ad Cabbaliſmum normare et reducere ſategit. Qua in re audaciam Henr. Mori etiam ſuperat,

Digitized by Google

quippe qui in eo tantum occupatus erat,ut Cabbaliſmum cum Chriſtiana religione conciliaret, eundemque huic conformaret. Cui Cabbaliſtarum celebriorum trigae, ſi recentiores adhuc *D. Ioh. Wilhelmus Ziroldus*, itemque *Autor Introductionis ad Hiſtoriam Philoſophicam Ebraeorum Halae Sax. 1702.* editae annectantur, nullam his, exiſtimo, fieri iniuriam, dum easdem, ut ex ſcriptis eorum patet, cum prioribus, tibias inflant, licet in quibusdam ab illis parumper diſcedant, et novis ſubinde commentis Cabbalam ſuam conſtipent. Operae proinde pretium eſſe autumamus, indolem huius Cabbalae accuratius excutere, ut unicuique ad oculum pateat, neque Iudaeorum novam, neque Chriſtianorum antiquam, quam iactitant, veram divinamque eſſe ſcientiam, nedum, ut cum Chriſtiana fide conveniat, quin potius eandem crasſisſimis tenebris involvat penitusque evertat. Vt ergo totum negotium ordine pertractetur, *primo, naturam Cabbalae* generatim exponemus, *deinde*, ad ſpecies eius *Cabbalam Hermeneuticam, Dogmaticam* et *Magicam* progrediemur, quas ſingulas partes pari ratione ſigillatim nobis enucleandas ſumemus, quo id, quod caput rei eſt, evincamus, Cabbalam eſſe ſcientiam ineptam, ſuperſtitioſam et mere fanaticam, adeoque cane peius et angue animo, vera pietate munito, deteſtandam. Quem noſtrum laborem, pro veritate divina ſuſceptum, ut Deus omnis veritatis autor ſtatorque optimus, fortunet, provehat, clementerque ſecundet, eſt, quod precibus, iisque ardentisſimis, iterum iterumque ab ipſo ſupplices precamur.

CAPVT

CAPVT I.

DE CABBALA IN GENERE, EIVSQVE INDOLE ET NATVRA.

§. I.

NAturam et indolem Cabbalae accuratius inveſtigaturi, non operae exiſtimamus eſſe pretium, in nomine ſignificatibusque illius evolvendis nimis haerere, quando iam dudum alii hac in re otium nobis fecerunt. Ne tamen aliquid, quod ad profundiorem rei notitiam pertineat, omiſiſſe videamur, perpauca tantum de origine vocabuli eiusque variis acceptionibus delibabimus. Sane antiquisſimum illud eſt, et in Scholis Ebraeorum natum; neque tamen antiquis Eccleſiae Patribus ita fuit incognitum, ut ad nomen eius, tanquam inauditum, obſtupuerint, quemadmodum Io. Picus, Mirandulae Comes, *in Apologetico ſuo, Operum T. I. p. 75.* Io. Reuchlinus *de Cabbala L. I.* aliique arbitrantur. Id enim ex Tertulliano liquido conſtat, qui de *Marco* quodam et *Colarbaſo* haereticis commemorat, *quod ex ordine literarum Alphabeti, luſu quodam Cabbaliſtico, multa inepta atque periculoſa dogmata exſtruxerint, abuſi ad hoc exemplo Chriſti, qui Apoc. I. v. 8. inquit: Ego ſum* Α *et* Ω *etc. Lib. de Praſcriptionibus C. L.* Neque difficile eſſet, ex *Irenaeo* et *Epiphanio* hoc probare, quippe qui Cabbalam *traditionis* nomine paſſim efferunt, et exinde *Gnoſticorum* aeque ac *Valentinianorum* nugamenta derivant.

§. II. Deſcendit autem קבלה quod idem eſt, ac *receptio*, vel *traditio*, a radice קבל *accepit*, quam *LXX. Senes* per δέχεσθαι et λαμβάνειν tranſtulerunt. Quod vero vocabula, *capere, capax*, et *capedo*, Syriacum *Gaba*, h. e. *colligere*, ut et Germanicum Gab, ceu D. Ziroldus *in Introd. ad H. E. p. 240.* putat, a Cabbalae vocabulo originem trahant, Cabbaliſticum fere genium, i. e. in nugas et conieẞuras proclivem, redolet. Rectius ab illo nomen מקובל, *Cabbaliſta*, *artis Cabbalicae peritus*, *ſectator* deducitur, quem a *Talmudiſta* et *ſcripturarum ſectatore* ita diſtinguit R. Menaſſe Ben Iſrael, ut *Cabbaliſtam*, ſive מאר קבלה medicinae doctori, qui medicamenta intelligat atque praeſcribat, מאר משנה autem, ſive *Talmudicum Doctorem*, apothecario tantum ſimilem eſſe pronunciet, qui doctorum praeſcripta in compoſitione medicamentorum ſequi teneatur, etſi ipſe rationes ſuarum operationum pharmacevticarum et medicamentorum ignoret. מאר מקרא denique, ſive *ſcripturarum ſectatorem*, cum aſino, propter vilitatem et levitatem ſtudii, comparare non veretur; videatur *Conciliator* eius *in Exodum. Qu. L.*

§. III. Ad vocabuli ſignificationem quod attinet, non uno ſemper eodemque ſenſu illud a Cabbaliſticis ſcriptoribus accipitur, cum ex illorum ſit numero, quae πολλαχῶς dicuntur, et varios ſubinde ſenſus admittunt. Si Iudaeorum et veterum Cabbaliſtarum ſcripta conſulamus, partim, pro orali Patriarcharum inſtitutione in rebus divinis, partim, pro lege ἀγράφῳ, quam Moſi in monte Sinai traditam eſſe fingunt, modo, pro ipſis Prophetarum ſcriptis, modo, pro myſtico ſcripturarum ſenſu, denique, pro ſcientia quadam arcana, et ita porro, vocabulum hoc ab illis acceptum fuiſſe deprehendimus. Quo de legi omnino meretur Io. Buxtorff. *Lex. Talmud.* ſub voce קבלה *p. 1953.* Hottingerus in *Theſ. Phil. L. I. C. III. p. 434.* Io. Müllerus in *Iudaiſmo p. 48.* Andreas Sennertus in *Exercit. Philol. Hept. II. Differt. III. p. 136.* Veterum Cabbaliſtarum veſtigiis hac in parte hodierni etiam Cabbalicae artis fautores acriter inſiſtunt, qui ne latum quidem unguem a veteribus diſcedunt, niſi, quod vocem in ampliſſimo ſignificatu ſumant, acceptiones ſaepiſſime confundant, et modo hanc, modo illam, pro arbitrio ſuo, amplectantur. Cu-

ius

ius rei confirmandae gratia citaſſe ſufficiat *D. Ziroldum*, qui tam liberalis iuxta, ac varius eſt in eruendis vocabuli huius ſignificationibus, ut omnem ferme ſcientiam, a maioribus acceptam, Cabbalae nomine comprehendi poſſe ſibi perſvadeat, Etymologiae tantum, non vero uſus rationem attendens. Modo enim *doctrinam de X. Sephiroth*, quam baſin et fundamentum totius Cabbalae arcanae conſtituit, hoc nomine appellat, modo *Maſoram*, ceu ſcientiam arcanam *ϛόμα πρὸς ϛόμα* a ſapientibus ad poſteros ſucceſſive transmiſſam, ita nominare geſtit, in *Introductione ſua ad Hiſtor. Eccl. C. III. §. 33. et 37. p. 252. et 262.* Quin imo, quod mirum dictu, ipſam *Scripturam S.* quanta quanta eſt, Cabbalam eſſe contendit, id quod verba eius innuunt, quando ſic ſuam ediſſerit mentem: Weil ihre Nachkommen (de Iudaeis loquitur) die H. Schrifft oder die H. Cabbala, welche eins ſind/ nicht mehr verſtanden/ ſind ſie daher gottloß worden. *c. l. p. 244.* Adeo nimirum Cabbalae vocabulo Theoſophus ille delectatur, ut ne, ipſam Scripturam S. hoc titulo, tanquam admodum honorifico, inſignire, et ſic pari utramque loco ac numero habere, religioni ducat; quaſi vero quodlibet vocabulum ex Iudaeorum Paganorumque Scholis arceſſere, idque ſacrarum literarum Pandectis proprio auſu imponere cuivis liceret.

§. IV. Vt vero Cabbaliſtae maximi hanc ſcientiam aeſtimant, et divina hinc ſibi myſteria promittunt; ita non ſolum hoc nomine illam indigitant, ſed admodum ſunt ſtudioſi in excogitandis laudum encomiorumque generibus, quibus inſulſam hanc ſcientiam ex merito, ut putant, depraedicent, animosque imperitorum ad culturam eius nimia laudum praedicatione magis magisque excitent. Idcirco veteribus olim, quod mireris, דרך אמת *via veritatis*, אמרי אמת *eloquia veritatis*, referente Reuchlino *L. III. de Cabbala p. 854.* appellabatur. Ipſi Capnioni dicitur *ἀδίδακτος καὶ κρυφία τῶν μυϛηρίων καὶ συμβόλων παράδοσις*, quod idem eſt, ac *occulta et ſine doctore acquiſita myſteriorum et ſymbolorum traditio. L. II. Cabb. p. 775.* Quod ſi vero rubricas, quas Cabbaliſtae libris ſuis praefixere, conſiderabis, nec hic deerit, quod admiratione dignum exiſtimabis. Alius enim inſcribitur אור יקר *lux pretioſa*, cuius libri auctor ignotus

tus eſt, alius אוצר החיים *Theſaurus vitae*, a R. Moſe bar Nachman conſcriptus, nuncupatur. Quandoque באר מים חיים *fons aquarum vivarum*, שער אורה *Porta lucis*, שער השמים *Porta coeli*, תעלומות חכמה *abſcondita ſapientiae*, etc. foetus eiusmodi Cabbaliſticus inſignitur, quorum ſic appellatorum librorum catalogum, ex variis autoribus collectum vide ſis apud Iul. Bartoloccium in *Bibliotheca Rabbinica magna* paſſim, Buxtorffium in *Bibliotheca Rabbinica*, et Autorem *Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr. p. 144. ſeqq.* At longe plura ſe ſe offerunt encomia, quibus recentiores Cabbalam commendant, quorum copiam, ſi altius tecum ponderabis, nullus dubito, quin in eam deſcenſurus ſis ſententiam, tam prolixos eſſe recentiores Cabbaliſtas in laudanda ſua Cabbala, ut veteres etiam hac in parte, ſi non ſuperare, provocare tamen facile poſſint. Nunc enim illis dicitur *Philoſophia myſtica*, ideo, quod non omnes promiſcue capiant, aut capere poſſint, quae in ea traduntur, myſteria: Nunc *Philoſophiae Theoſophicae* nomen ei vindicant, partim, quod ex divina revelatione primi huius Philoſophiae auctores dogmata ſua acceperint, partim, quod nemo ipſam, niſi, qui a Deo ſit illuminatus, haurire queat. Mox *Philoſophiam Symbolicam*, quod res ſub ſymbolis certis exprimat, mox *Metaphyſicam*, quod tranſcendentalia tractet, quae ſupra omnem rationem ſint, appellitare eandem conſveverunt. Quibusdam coincidit cum *Theologia Myſtica*, quod res divinas ſub ſymbolis aenigmatice repraeſentet, quanquam nec deſunt, qui hanc a Cabbala, tanquam Philoſophia myſtica, diſtinctam cupiunt; quo referendus Autor *Obſervationis primae T. I. Obſervationum Selectarum*, *Halae* 1700. vulgatarum §. 3. ubi etiam ſimul, qua in re Theologia et Philoſophia myſtica differant, momenta quaedam annectit. Nonnullis inſuper *doctrina divina, ſcientia ſalutis, ars ſpiritualis, mirabilis ſcientia Dei, ſcientia contemplativa, Philoſophia perennis, ſecreta ſapientia, liber aeternae ſapientiae* audit, ut reliquos titulos eius honorarios ſicco pede praetereamus, qui totam ſaepiſſime in ſcriptis Cabbaliſticis paginam faciunt, nec illos, qui vel fugitivo oculo ea perluſtrarunt, latere poſſunt. Confer omnino B. Colbergium in *Chriſtianiſmo Platonico Hermetico C. III. §. 4. 5.* At, vide, quantopere titulis his merces ſuas admodum obſoletas depraedicare, atque imperitis exponere Cabbaliſtae

ſoleant,

Digitized by Google

ſoleant, quam ſpecioſam hederam vino ſuo minus vendibili, ut ſic loquar, ſuſpendant!

§. V. Nunc ex lege methodi ad deſcribendum hoc myſterium progrediar, in quo quidem denuo variant autores. Ita Raymundus Lullius Cabbalam per *habitum animae intellectualem* deſcribit, *ex recta ratione divinarum rerum cognitivum, ac proinde ſcientiam quandam divinam* vocat. Pari ratione Reuchlinus, *Capnio* alioqui, Buxtorffio ob nimium Cabbalae ſtudium *Capniodochus* dictus, pulchrioribus, quam quos promeruit, coloribus abſtruſam hanc artem depingit, *Cabbala*, inquit, *eſt divinae revelationis, ad ſalutiferam Dei et formarum ſeparatarum contemplationem traditae, ſymbolica receptio quaedam L. I. de Cabb. p. 733.* Quod ſi famoſum illum Fanaticorum coryphaeum, Paracelſum, et hic audire velis, qui longe plures utilitates, quam caeteri, a Cabbala ſibi promittit, non aliter ac Apollo quidam Pythius loquitur. Cabbala, ait, iſt der Olympiſche Geiſt / oder der Sacramentaliſche Leib des innern vergötterten Menſchen in Amadei: ſehende mit leibl. Augen des Gemüthes in die himmliſche Thronen und die Warheit GOttes. Ita quidem veteres. Ex recentiorum vero hypotheſibus Cabbala eſt *naturalium divinarumque rerum ſcientia, quae Ebraeis olim recepta, forte ab ipſis Patriarchis ad eos derivata, et ita iuſta ſerie propagata, non niſi puris ſanctisque mentibus, et virtutis ſtudio unice deditis, obtingat*, deſcribente eam Autore *Obſ. I. T. I. Obſ. Hal.* §. 2. p. 3. Sed ſuo quemque ſenſu abundare patiamur; nobis, ad impuras huius Pandorae origines reſpicientibus, Cabbala nihil aliud eſt, *Quam* FALSA RERVM NATVRALIVM DIVINARVMQVE SCIENTIA, *ex Ethnicismo et Iudaiſmo corrupto conflata, profanis et anilibus fabulis referta, imo ſuperſtitionibus et magicis artibus repleta, quae hominem, carnis prudentia turgidum, methodo aenigmatica, abſtruſa atque fanatica, a ſimplicitate fidei avocare, et, niſi mature pedem retrahat, in exitiales Enthuſiaſmi, Paganiſmi, imo Atheiſmi labyrinthos abducere poſſit.*

§. VI. Vt vero haec ſibi conſtet Deſcriptio, paucis declaranda nobis venit. Ac initio quidem, *ſcientiam* appellavimus, non equidem κατ' ἀλήθειαν, ſed κατὰ τὴν δόξαν et Cabbaliſtarum opinionem, adeoque *ſcientiam falſam atque erroneam*, vel potius ex reprobo ſenſu ortam. Ecquem vero fontem aut originem agnoſcit ψευδώνυμος haec ſcientia? Dictum nobis in deſcriptione eſt, ultimos eius

natales in *Ethniciſmo*, propiores in *Iudaiſmo corrupto* quaerendos. Equidem non exigua in hac rerum caligine ſe obiicit difficultas, dubiumque eſt, num vel in Iudaeorum, vel Chaldaeorum, vel Aegyptiorum, vel denique Graecorum ſcholis excluſa, poſteaque ad Chriſtianos ſit traducta? Iudaei, quo maiorem arti ſuae auctoritatem concilient, ab ultimis temporibus originem illius repetunt, et ex ipſo Paradiſo eandem derivant, lepidam fingentes hiſtoriam, quod Angelus *Raziel* hanc divinam ſcientiam Adamo ſtatim poſt lapſum docuerit, uti refert Reuchlinus *L. I. de Cabbala. p. 738.* Idem quoque contigiſſe, dicunt, Patriarchis, ita, ut Abraham *Zadkielem*, Iſaac *Raphaëlem*, Iacob *Pelielem*, Angelos doctores artis Cabbaliſticae fuerint nacti, teſtante id iterum *Reuchlino* loco citato. Plurima vero illorum pars in ea verſatur opinione, Moſen per *XL.* illos dies, quibus in monte Sinai commoraverat, a Deo hanc ſcientiam, una cum aliis occultis artibus, accepiſſe, a quo poſtea hanc per manus quaſi acceperint *Ioſua*, *Pinehas*, *Eli*, *Samuel*, *David*, *Achia*, *Elias*, *Eliſa*, *Ieboiada*, *Zacharias*, *Hoſeas*, *Amos*, *Eſaias*, *Micha*, *Ioel*, *Nahum*, *Habacuc*, *Zephania*, *Ieremias*, *Baruch*, *Eſra*, *Simeon*, *Iuſtus*, *Antigonus*, *Iochanon*, *Ioſes*, itemque *R. Iehoſua*, *Schimon*, *Schemaia*, *Schamai*, *Hillel*, *Schimon*, *Gamaliel*, *Hakkadoſch*, *Schamuel*, *Iochannan*, *Monab*, *Rabbah*, *Aſche*, *etc.* Quo de videatur Müllerus in *Iudaiſmo p. 50.*

§. VII. Non vero ſolum Iudaei de origine Cabbalae ſic delirant, ſed et inter Chriſtianos reperias quosdam, qui eandem cum illis tibiam inflare non recuſant. Ex quorum ingenti numero ſufficiat allegaſſe *Reuchlinum*, *Picum Mirandulanum*, *Paulum Riccium*, *Cornelium Agrippam*, *AEgydium de Roma*, *Albertum M. Henr. Morum*, *Rittangelium*, *Knorrium*, *Camp. Vitringam*, et, qui his omnibus ὁμόψηφος eſt, *Zirold. in Hiſt. Eccl. p. 241.* intrepide affirmantem, quod Moſes, cum per *XL.* annos in deſerto oberraſſet, ſcientiam illam ab Aegyptiis hauſtam interea temporis oblivioni tradiderit, et contra occultam hanc ſapientiam, Deo ipſo doctore, didicerit; qua comparata, ipſi eveniſſe, pergit, ut non ſolum vir valde magnus in oculis ſervorum Pharaonis et populi evaſerit, ſecundum illud *Exod. XI, 3.* ſed etiam divino prorſus honore ab AEgyptiis fuerit affectus. Et quae ſunt reliqua *Ziroldi* commenta, quibus, tanquam oraculis, ex Apollinis tripode prolatis, orbem eruditum faſcinare ſtudet. Neque tamen argu-

menta

menta quaedam, quae hanc ſententiam evincant, neque ullum ex veteri hiſtoria teſtimonium, ibidem affert, niſi, quod ſubinde ad *παῖροπαράδοσιν* provocet; quaſi vero hae Iudaeorum traditiones tantae ſint auctoritatis, ut, quicquid abſurdi continent, pro indubitata veritate debeat haberi. Ceterum, mirum dictu eſt, quod et Autor *Introductionis ad Hiſt. Phil. Ebraeorum* ſibi temperare non potuerit, quo minus hanc ſcientiam, ex intempeſtiuo forte erga Cabbalam amore, a Moſe derivandam, imo ipſis Pentatevchi libris anteponendam eſſe aperte pronunciet. Duo enim Philoſophiae Moſaicae conſtituit genera, quorum alterum *acroamaticum*, alterum *exotericum* appellat, perhibens, illud eſſe Cabbalam, hoc vero in Pentatevcho exhiberi. *in Introduct. ad Hiſt. Phil. Ebr. p. 36.* Quod iudicium de libris ſacris divinoque afflatu conſcriptis an Theologo dignum ſit, lectori, qui rectius S. literarum autoritatem aeſtimare novit, iudicandum relinquo.

§. IIX. Alii Cabbalam e *Chaldaeorum Scholis* hauſtam, et poſt captivitatem Babylonicam una cum Iudaeis in Palaeſtinam delatam fuiſſe haud obſcure coniectant, uti auctor huius ſententiae eſt, famoſus ille et audacior magis, quam felicior Criticus, Richardus Simon, *in Critica S. V. T. Lib. I. C. VII. p. 44. ſeqq.* ubi ipſam quoque Pythagorae et Platonis Philoſophiam ex iisdem lacunis dimanaſſe adfirmat. Sunt etiam, qui *Philoſophiae Pythagoricae et Platonicae* natales ſuos Cabbalam debere, evincere volunt, in quo demonſtrando admodum laborioſus fuit Henr. Morus in *Cabbaliſticis operibus* paſſim, qui dogmata Platonicorum cum Cabbaliſtarum dogmatibus contendens, ex hac placitorum *ὁμοφωνία* hanc ſuam ſententiam demonſtrare annititur. A quo tamen Chriſtianus Knorrius a Roſenroth diſſentit, Cabbalam potius a Iudaeis derivadam eſſe ſtatuminans. Videatur eius *amica Reſponſio ad Henr. Morum T. I. P. II. Cab. Denud. p. 78.* Reperiuntur denique, qui ad ſequiora tempora originem Cabbalae reducunt, et pro recentiori Iudaeorum invento illam venditant. Cui ſententiae et ipſe Colbergius, Vir in hac literatura curioſisſimus, et antiquitatum indagator felicisſimus, adſtipulatur, qui circa *Elxei* vel *Elceſaei*, hominis Iudaei, et Cabbalae nugis infecti, tempora Cabbalam enatam fuiſſe putat, in *Specimine de Origin. et Progreſs. Haereſ. C. I. §. XI. p. 34.*

§. IX. Certe difficile nobis fuit hic quicquam definire. Quemadmodum enim in plerisque omnibus ſectis haereſibusque nihil magis eruditis crucem figere ſolet, quam ſi primum, quo exortae ſint, temporis momentum determinare debent, dum non primo ſtatim, quo naſcuntur, tempore, invaleſcunt, ſed clanculum ſerpunt, usque dum eundo vires acquirant, et maiori tandem impetu prorumpant; ita et Cabbalae mathematicam hic figere Epocham non licet. Interim vehementer probabile videtur, ſcientiam hanc non ſtatim invaluiſſe, ſed per aliquem temporis tractum in obſcuro quaſi latitaſſe, donec magis magisque hominum animos occupaverit, qui eam poſtea confidentius diſſeminarunt, et in varias terrarum partes disiecerunt. Si quid tamen certi et nobis ſtatuendum reſtat, intrepide affirmamus, nec Moſen, nec ullum alium ſcriptorem divinum, pro inventore huius ſcientiae haberi poſſe, cum veritati non ſit conſentaneum, viros hos *θεοπνεύςȣς* commercii quid habuiſſe cum illis nugis, nedum ut eas excogitaſſe, aut a Deo accepiſſe, credamus. Quin potius non veremur aſſerere, Chaldaeos, avita religione neglecta, artis huius primum ſemina ſparſiſſe, et ad Aegyptios aliosque Orientis populos transmiſiſſe, ex quorum etiam rivis Pythagoras et Plato poſtmodum arva ſua irrigarunt. Suffragantem in hac ſententia habemus Diogenem Laërtium *de Sectis Phil. L. VIII. in vita Pythagorae*; itemque in *vita Platonis L. III. p. 190.* Epiphanium, qui in *Panario* ſuo aperte docet, Graecorum myſteria ab Aegyptiis ortum traxiſſe *p. 11. edit. Graecae*, quae *Baſileae anno 1554.* prodiit.

§. X. Quo vero tempore a Iudaeis haec ſcientia fuerit recepta et exculta, neque hoc ſatis conſtat. Quantum tamen ex Prophetarum ſcriptis colligere licet, iam illorum tempore gens coeca ſuperſtitione ducta Magiae, Necromantiae, Theurgiae, et ſic porro, pretium ponebat, ut proinde Cabbalam hanc, vel ad minimum quoad partem, a Iudaeis excultam tunc temporis fuiſſe, non ſpernenda ſit coniectura. Et, niſi nos omnia fallant, tempore captivitatis Babylonicae, cum Iudaei in terram Canaan reverterentur, et Samaritani, extructo in monte Garizim templo, Iudaiſmum cum Paganiſmo in unum quoddam religionis chaos conflarent, Cabbaliſmum inter Iudaeos magis magisque ſerpſiſſe, ac in eorum etiam animis, qui ſacro umbo-

umbone tecti verorum Iſraelitarum nomen prae ſe ferebant, radices egiſſe, arbitramur. Maxime vero Eccleſiam Iudaeorum a Philoſophia illa falſa demum corrumpi coepiſſe, cum, durante Graecorum imperio, Iudaei ſacra, ritus, dogmata eorum aperte ſectarentur, et eruditionis laudi, ex literis Graecis cumprimis petendae, inhiarent, teſtis eſt vetuſtiſſimus Autor de Maccabaeis, qui, Iaſonem Gymnaſium Graecanicum inter Iudaeos erexiſſe, et ſenſim populum ad gentilium ritus et placita transtuliſſe, commemorat, *L. I. C. I. 15*, it. *L. II. C. IV, 7. 8. ſeqq.* Vt proinde iam dudum ante Apoſtolorum tempora, qui ſaepiſſime in illam invehebant, Cabbalam viguiſſe ſuosque baiatores inveniſſe, non fruſtra ſuſpicemur.

§. XI. Porro et *Obiecti* facta eſt mentio in Deſcriptione noſtra, quod *profanis et anilibus rebus* abſolvitur, i. e. Pſeudophiloſophematis et eiusmodi doctrinis, per quae fundamentum fidei aut labefactatur, aut evertitur, et homo in eiusmodi errorum labyrinthos ſeſe induit, ut extricare ſe inde vix citra animae periculum posſit. Id quod longe evidentius conſtabit, ſi diſtincte ſigillatimque potiores res, ex quibus Cabbala conflata eſt, ſub examen vocaverimus. Triplex autem vulgo ſiſtitur Iudaeorum Cabbala: *I. Artificialis*, a quibusdam *Literalis*, ab Auctore vero *Introd. ad Hiſtor. Phil. Ebr. §. XXXVIII. p. 265. Symbolica*, in oppoſitione ad *Dogmaticam*, dicta, quamvis minus accurate, cum in confeſſo ſit, et *Dogmaticam* perinde ac *Literalem*, eſſe Symbolicam. Eſt autem haec *literalis Cabbala nihil aliud, quam Iudaeorum Hermenevtica S. ſublimior*, quam in Synopſi proponit Celeberrimus R. Menaſſe Ben Iſrael *in Concil. Legis in Exodum. Q. 50.* De qua Cabbalae parte ſi dicendum, quod res eſt, illam nugatoriam plane et ludicram artem, ſi ad myſteria divina explicanda adhibeatur, eſſe pronunciamus, quippe quae eiusmodi ſuperſtructa eſt fundamento, ex quo non difficile ſit, e falſo verum etorquere, et e Diabolo Deum facere, cum quilibet novit, quid de literarum permutatione, traiectione et numeratione, circa quam haec Cabbalae pars occupatur, fingi queat, uti rectiſſime olim iudicavit, Vir magni iudicii, D. Pfeifferus in *Crit. S. C. VII. p. 212* *II.* Succedit altera Cabbalae pars, nempe *Dogmatica*, quae *inartificialis*, itemque *realis* alioqui nominata, circa *dogmata Iudaeorum ſublimiora* verſatur. De qua Cabbalae parte illud obſervandum eſt, quod paucis olim, e Chriſtia-

nis fuerit cognita et perſpecta, dum plerique in excolenda Symbolica Cabbala tantum perſtiterunt, nec facile hanc partem attigerunt. *Io.* quidem *Capnio* Phorcenſis, vulgo *Reuchlinus* dictus, qui primus poſt Hieronymi tempora ſtudium Ebraicum inter Chriſtianos illuſtraſſe fertur, tres libros de arte Cabbaliſtica conſcripſit, et huic Philoſophiae magnum ſtatuit pretium: nec minore felicitate huic Philoſophiae parti operam ſuam conſecravit *Io. Picus, Mirandulae Comes*, Cabbalae et Cabbaliſtarum fautor, ſi quisquam alius, conſtantisſimus: quemadmodum eitam alii ab arcanioris huius PhiloſophiaeEbraeorum ſtudio non fuerunt alieni, ut *Paulus Riccius*, cuius extant de *Agricultura coeleſti Libri IV. Archangelus Bourgonovenſis*, qui interpretationes in ſelectiora obſcurioraque Cabbaliſtarum dogmata in lucem edidit, quorum utrorumque ſcripta cum aliorum Cabbaliſtarum monumentis collegit et publici iuris fecit *Io. Piſtorius Nidanus*, Medicinae D. et Marchionum Badenſium Conſiliarius, *Baſileae anno 1587.* His addi poteſt *Ioſeph. Voiſſinius* et *Steph. Rittangelius*, qui excerpta quaedam ad hanc Cabbalae partem ſpectantia, ſed pauciora tantum, ediderunt. Nemo tamen ex his omnibus, veram huius Cabbalae indolem ſatis expresſit, usque dum duo iſti Cabbaliſmi indagatores et reſtauratores famigeratisſimi prodierunt, *Heur. Morum*, et *Chriſtianum Knorrium a Roſenroth* puto, quorum ſpiſſa volumina in lucem edita viros hos indeſeſſo ſtudio in intimiores Cabbalae receſſus tandem penetraſſe omnesque ſcientiae huius profunditates feliciter exhauſiſſe, ſatis ſuperque atteſtantur. De quibus tamen Duumviris illud eſt monendum, quod Cabbalam non diſtincte et iuſto ordine tractarint, et de Cabbala Chriſtianaque religione inter ſe concilianda, temerario prorſus auſu, laborarint. Quanta, quanta autem haec Cabbalae pars eſt, licet multum de ea hodie nonnulli iactitent, nil tamen, niſi doctrina eſt fanatica, et meris putisque figmentis, falſis hypotheſibus et nugis innititur, ex quibus eiusmodi dogmata, tanquam ex impuro fonte, copioſe propullulant, quorum venenum quilibet verae pietatis et religionis cultor omni mentis contentione iure meritoque averſetur. Etenim in illa ingens opinionum monſtroſarum conſpicitur farrago de Deo, eiusque emanationibus, nominibus, eorumque ordine, attributis, perſonis Iudaico ſenſu acceptis, Oeconomia coeleſti, mundi origine et interitu, Angelis bonis et malis,

eorum-

eorumque vehiculis, ordinibus, officiis, miniſterio etc. De anima, eiusque praeexiſtentia, natura, unione cum materia, gradibus, conduplicatione, Metempſychoſi, etc. De peccato originis, ſeu natura corrupta, eiusque effectibus, poena: De Meſſia eiusque anima et regno etc. De ſtatu poſt mortem, adeoque Paradiſo et Gehenna, eorumque ſpeciebus, gradibus, occupationibus etc. De reſurrectione mortuorum, de virtutibus et vitiis, et quae ſunt ingenti numero plures γνώσεις ψευδώνυμοι, quarum falſitatem infra peculiari Capite oſtendemus. Si denique *III. Magicam*, ſive, ut aliis vocatur, *Practicam Cabbalam* intueamur, falſa haec, ſuperſtitioſa, impia, blaſphema, imo Daemoniaca plane eſt, et digna omnino, quae a Chriſtiano orbe, una cum cultoribus ſuis penitus eliminetur funditusque exſtirpetur. Ex meris enim magicis operationibus, abuſibus ſacrarum literarum, nominum divinorum, ſigillorum, characterumque atque aliis eiusmodi rebus conſtat, quarum auxilio impii homines, qui illam profitentur, daemones eiicere, incendia extinguere, aegros ſanare, puerperis benedicere, vulnera praecavere et abigere ſe poſſe gloriantur; quanquam ſaepisſime hoc glaucomate alios fallant, et ipſi a Diabolo fallantur.

§. XII. Equidem hodierni Cabbaliſtae, tametſi nec ipſi inficiari poſſunt, quod multis commentis variisque erroribus haec, quam tantopere commendant, Cabbala ſit referta; tamen varias hinc inde quaerunt latebras, ut hanc Pandoram ſuam variis pigmentis illinant atque exornent. Nullam autem commodiorem viam ad quasvis difficultates tollendas, controverſiasque dirimendas excogitari poſſe arbitrantur, quam ſi Cabbalam in *Antiquam* ac *Novam* diſpeſcant, et ſic inſigne inter utramque diſcrimen comminiſcantur. At enim vero, non ſufficit diſtinctionem aliquam invenire, niſi et demonſtretur, quod in re ipſa locum inveniat, et ſuum habeat fundamentum. Probandum itaque prius eſt, quomodo vetus Cabbala a recentiore differat, et utrum melior aliqua, quam recentior illa, unquam extiterit. Oſtendit quidem Autor *Obſerv. I. Hal.* qui et ipſe hac diſtinctione mirifice delectatur, modum aliquem hoc demonſtrandi, ſed admodum lubricum, et fallacem. Primo enim ſvadet, ſcripta Cabbaliſtarum vetuſtisſima eſſe conſulenda. Deinde placita Cabbaliſtarum cum monumentis veterum Philoſophorum comparanda eſſe

tradit

tradit; Denique reſpiciendum ſemper eſſe, monet, utrum veſtigia Cabbalae in Scriptura S. occurrant. Verum enim vero, quod ad primum momentum attinet, ubi ſunt illa ſcripta Cabb. antiqua? et, ſi quae hoc nomine venditantur, ecquae illorum auctoritas? quae veritas? et quod inde veri falſique diſcrimen expectes? dum ne antiquisſimi quidem libri Cabbaliſtici, ut ipſe *Autor obſervationis* allegatae fatetur, non puram, ſed corruptam Cabbalam exhibent, quod iam ante eum Henr. Morus in *ulteriori Diſquiſitione ad Clar. Cabb. Denudatae Compilatorem* ſcripta pluribus oſtendit. Si quis itaque verae Cabbalae veſtigia in veterum ſcriptis indagare velit, idem videtur facere, ac ſi ex ſtercore aurum colligere ſuſciperet, dum ex impuris lacunis, non niſi impurae et putidae aquae hauriantur. Sin vero ex Philoſophorum veterum monumentis genuinae Cabbalae dogmata eruere ſatagat, nec ſic quidem voti ſui fiet compos, dum ex ipſorum Cabbaliſtarum conſenſu dogmata Cabbaliſtica a Philoſophorum veterum dogmatibus multum recedunt. Nullus itaque video, quomodo vera Cabbala ex his, tanquam fontibus, commode posſit deduci. Et licet etiam in quibusdam doctrinis, quod nemini ignotum, inter ſe conveniant, ex illa tamen convenientia veritas demonſtrari atque exſculpi haud poteſt, cum multitudo errantium, non, ut in proverbio eſt, errori pariat patrocinium. Etenim Philoſophia ſive Pythagorica et Platonica, ſive Stoica, quanta quanta etiam eſt, perinde, ut Cabbala, erroribus et doctrinis falſis eſt referta; ut demonſtratum iam pridem a noſtris Theologis eſt. Denique ineptum plane eſt ſtudium, Cabbalae veritatem ex Scripturis Sacris ſtabilire. Quid enim, quaeſo, lux cum tenebris, quid divina veritas cum mendaciis commercii habeat? Nec eſt, quod ſententiam hanc multis confutemus, cum ipſa Scriptura Cabbalam copioſiſſime refutet, eamque, tanquam Pſeudo-Philoſophiam, e coetu vere credentium penitus cupiat eliminatam. Multus quidem Autor citatae Obſervationis in eo eſt, ut in quibusdam Scripturae S. locis evidentiſſima Cabbalae veſtigia conſpicienda eſſe evincat, quae tamen omnia loca adeo corrumpit et depravat, ut illum in explicandis Script. S. oraculis Alchymiſtam potius, quam genuinum interpretem nominare posſis. Sicut enim illi, quoties vel aquae, vel lacrymae, vel lapidis Scriptura meminit, lapidis ſui toties mentionem factam fuiſſe ſomniant; ita et hic fere in omnibus Scri-

pturae

Digitized by Google

pturae locis Cabbalae veſtigia quaerit, et licet nulla penitus in divinis literis extent, ſingulari tamen modo varia verba dictaque earum ad Cabbalam reducere laudi ſibi ducit.

§. XIII. Sed properandum ad *Subiectum* huius Theoſophicae Philoſophiae eſt, quod *ἄνδρωπον κατεφθαρμένον τὸν νοῦν*, *hominem mente corruptum* diximus, praeeunte Apoſtolo *2. Tim. III, 8.* qui, tametſi inflatus eſt propter ſuam, quam poſſidere putat, ſcientiam; *nihil tamen novit 1. Tim. VI, 4.* Etenim qui *κενοφωνίας βεβήλους*, *vocum inanitates* ſequitur, et ſub ignotis plane et barbaris vocabulis doctrinas falſas, tanquam myſteria, incruſtat et obtegit, quique non, niſi ſublimem ac abſtruſam ſcientiam iactitat, atque *φρονεῖ ὑπὲρ ὃ γέγραπται*, *ſapere vult, ſupra id quod ſcriptum eſt 1. Cor. IV, 6.* de eo nullum eſt dubium, quin aut cum ratione inſaniat, aut laevae mentis vitio laboret.

§. XIV. Ita quidem ex iudicio veritatis delineavimus Subiectum; quod tamen Myſtici noſtri ut divinum celebrant, ſplendidisque verbis depingunt. Nam ad artis Cabbaliſticae ſacraria non, niſi hominem admittunt (*a*) *qui doctori ſuo, eiusque verbis ſine ulla contradictione ſidem conſtantiſſime praebeat*, quique omnia, quaecunque modo a Praeceptore proponuntur, alto quodam ſilentio auribus excipiat, perinde ac veteres diſcipuli Pythagorici, *quibus*, teſte Gellio, *certum tempus ſtatuebatur, ut tacerent, ubi is, qui tacebat, quae dicebantur ab aliis, audiebat, neque percunctari, ſi parum intellexerat, neque commentari, quae audierat, fas erat. Noct. Attic. L. I. C. IX.* Idem quoque Myſtici a ſuis deſiderant diſcipulis, ut videlicet nulla ratione doctori ſuo obloquantur, nec contradicant; ſed conſtantiſſimam ſine omni et verborum et rerum probatione fidem illius doctrinis adhibeant, cum, qui fidem habet, iudice Ariſtotele, *βέλτιον διακείμενος ἢ εἰ ἐτύγχανεν εἰδώς*, *melius diſpoſitus ſit, quam ſi eſſet ſciens.* Neque fas eſt, rationibus et argumentis accuratius hanc ſapientiam examinare, ſiquidem res illae, quas Cabbala tradit, divinae ſint et altioris ordinis, quam quae ad humanas rationes normari poſſint, adeo, ut ab ipſarum comprehenſione humanae rationes mirifice debilitentur. *Idcirco diſcipulus de eiusmodi altiſſimis quaeſtionibus nil interroget, interrogatus vero ab aliis reſpondeat: αὐτὸς ἔφα*, docente Reuchlino. *L. II. de Cabbala p. 775.* Quem diſciplinae modum et ordinem

C VVeige-

Digitized by Google

VVeigelius quoque et ipſius aſſeclae illis olim praeſcripſerunt, quibus myſticam Philoſophiam et Theologiam addiſcendi inceſſerat libido, uti ex libro eius, quem *Diſputir*-Büchlein appellat, *p. 1. ſeqq.* ſatis abundeque patet.

XV. Deinde (β) a Cabbalaeo deſiderant, ut ſit πολυμαθὴς et πολύσοφος, qui tantam omnium rerum ſcientiam ſibi comparaverit, ut mente ſua elevata etiam in altiſſima introſpicere et in Dei penetralia irrumpere queat. Cuius quoque κρητηρίου Reuchlinus meminit, quando dicit: *Ut plane tamen fatear, id quod verum eſſe tum ratio probat, tum exercitationis confirmat experimentum, non paucis oportet artibus, non valde minutis humanorum ſtudiorum ſcientiis, non levi doctrina eum prius inſtructum eſſe, cuius induſtria, promptitudo et ingenium ad formarum ſeparatarum ac ſimplicium mundi ſuperioris et intelligibilis ſubſtantiarum contemplationem ita manſveſcat, ut in ipſa ferme Dei penetralia irrepat. L. I. de Cabbala p. 728.* Hoc a cultoribus huius ſcientiae antiquiores Cabbaliſtae deſiderabant, ſed hodierni, quos noſtra aetas excitavit, longiſſime hac in parte ab illorum ſententia recedunt. Cum enim illi multiiuga ſcientia inſtructum hominem requirunt, hi potius rudem plane et nullis artibus excultum ad doctrinarum ſuarum ſacraria admittere volunt, ita, ut etiam, ſi ſapientia polleat mundana, ſecularibusque, ut vocantur, ſcientiis ornatus ſit, has ipſas, quas callet artes, oblivione prius mandare debeat, quam ad ſublimem hanc ſcientiam addiſcendam ſeſe accingat. Sic Ziroldus de Moſe, quem autorem huius ſcientiae conſtituit, mentem ſuam prodit, dicendo: Hier/ hier (nempe in deſerto) hat Moſes erſt die rechte Weißheit ſtudiret/ und nicht bey den Welt-weiſen der Egyptier/ denn da er hernach 40. Jahr in der Wüſten zugebracht/ und die Schaaf gehütet/ hat er wieder ausgeſchwitzet/ was ihm die Egyptier beygebracht? Hingegen hat er von GOtt ſelbſt die verborgene Weißheit gelernet/ durch welche er ein ſehr groſſer Mann war in Egyptenland für den Knechten Pharao und für dem Volck. *Introd. ad Hiſtor Eccl. C. I. p. 26.* Sed inſigne hoc commentum eſt, ex cerebro vere Cabbaliſtico enatum, de quo ne γρῦ quidem in ſacris literis deprehenditur conſignatum.

§. XVI. Porro (γ) Cabbaliſtae diſcipulum artis ſuae *grandioris aetatis* eſſe volunt. Perſvadent enim ſibi, ad tam ſublimem profundam-

fundamque ſcientiam neminem eſſe poſſe idoneum, niſi illum, qui iam ſedatis et extinctis cupiditatum ardoribus et calore iuvenili refrigerato cum quadam naturali probitate conſenuerit. *Ideo motus quondam Rabbi Eleazar dicente ipſi benigne magiſtro ſuo Johanan, Veni, docebo te opus de Mercava: id eſt, de ſublimioribus contemplationibus, reſpondit* לא קשאי i. e. *non incanui, quaſi nondum conſenui*, ut *Capnio* ex Rabbinorum traditionibus refert *L. I. de Cabbala p. 731.* Hodierni quidem, quod ſciam, Cabbaliſtae grandem aetatem in artis ſuae auditore non adeo requirunt; ſi quis tamen idoneus et felix huius artis ſectator eſſe velit, moribus a ſenectute petitis et ſenili aetati propriis eum omnino praeditum eſſe oportere contendunt. Proinde etiam (δ) θεόσοφος et *ſublimi gradu ſit purgatus.* Nam abſque ſanctimonia vitae et puritate mentis virtutisque ſtudio neminem hanc ſapientiam comprehendere poſſe, tradunt. Cuius rei hanc praetendunt rationem, *quod indulgendo concupiſcentiis et affectibus corrumpantur deſideria ſpeculationum*, referente id, Cabbaliſtarum Principe, Reuchlino *L. II. de Cabb.* Et hac in re omnes quoque et ſinguli, qui hodie Eccleſiam infeſtant, Cabbaliſtae quam optime conſpirant. Ita Cabbaliſta Hallenſis *Obſerv. I. T. I. obſ. Hal. p. 3. et 6. non niſi ſanctis puriſque mentibus et virtutis ſtudio unice deditis Cabbalam obtingere* ſibi perſvadet. Idem docet Ziroldus: Es verſtehet die Gabbala niemand/ er habe den הלב טוב ein gutes Hertz. Was aber ungelährige und leichtfertige Gemüther ſind/ die können ſolche Lehre nicht faſſen. *C. III. Introd. Hiſt. Eccl. §. 16. p. 240.* Oportet quoque hunc hominem (ε) eſſe *quietum et ab omnibus curis alienum*, ut parata ſuccurrant omnia, quae ad ſuſcipiendas res altiſſimas pertinere videntur. Teſtis huius rei iterum eſt *Capnio*, qui et hoc inter requiſita Cabbaliſtici diſcipuli refert, ſic ſcribens: *Praeter vitia etiam pervertunt et avertunt hominem ſecularia negotia, dum forte parentes, uxor, liberi, res familiaris, amici, inimici, caſus, eventa, et quaelibet propinquorum neceſſitudines haud ſinunt vires hominum ſummos intelligentiae gradus aſcendere, L. I. de Cabb. 732.* Nec recentiores Cabbaliſtae hac in parte a veteribus abeunt, quin potius *quietum animum* inter palmaria requiſita ponunt, tametſi in eo diſcrepant, ut variis nominibus id efferre allaborent. Vocant enim illud nonnunquam *ſilentium*, quo quis animo imperturbato, et, neſcio, qua mentis quiete fruitur, aliquando

 vero

Digitized by Google

vero *Sabbatiſmum* id ipſum appellitant. *Weigelius* id nominat ein Stille halten/ ein Sabbath halten / quo de peculiarem libellum conſarcinavit, cuius titulus: Principal - und Haupt - Tractat von der Gelaſſenheit.

§. XVII. Accedit denique (ζ) quod et ille homo, qui Cabbalae addiſcendae idoneus eſſe velit, *lumine imprimis divino debeat eſſe illuſtratus.* Audiamus hanc in rem Robertum Fluddium, fratrum roſeae crucis facile coryphaeum, aperte id teſtantem. *Nonne*, ait, *divina eſt Cabbalae verae ſcientia et veneranda, cum impoſſibile ſit, ut quis ad eius perfectionem attingat ſine Sp. S. aſſiſtentia, cuius eſt huiusmodi myſteria divina docere et homines in omnem veritatem deducere, in Tract. Apolog. P. I. C. II.* Equidem Autor *Obſ. Hal. T. I. p. 6.* illos hac in re excuſare non dubitat, qui haec talia ſtatuunt; exiſtimans illuminationem hanc de *emendatione voluntatis* eſſe intelligendam, ut ita fonte omnium errorum ac praeiudiciorum purgato intellectus ad capiendam veritatem ſublimioris Philoſophiae magis fiat idoneus. At vero, aliud eſt *illuminatio mentis*, aliud *emendatio voluntatis*, quae a ſe invicem diſtincta ſunt, nec ab ipſis Cabbaliſtis promiſcue uſurpantur. Haec talia ad cultorem artis Cabbaliſticae omnibus numeris abſolutum Cabbalaei requirunt, quae vero requiſita, perinde ut Cabbala, fanatico prorſus fundamento nituntur, et a nemine, rem altius rimante, approbantur.

§. XIIX. *Forma ψευδωνύμȣ* huius ſcientiae *externa* ex *aenigmatica et abſtruſa inſanas doctrinas proponendi ratione* diſpaleſcit. Nam *α*) Cabbala *obſcuris quaeſtionibus, meriſque verborum aequivocationibus virus ſuum occultat*, ne, quid monſtri alat, a quovis ſtatim promiſcue perſpiciatur. Qui perplexus ambiguusque loquendi modus Diabolo, τῷ λοξίᾳ vetuſtiſſimo, etiam arridebat, cum ad decipiendos Protoplaſtos ſuum appelleret animum. Cuius quidem veſtigiis haud dubie inſtiterunt, qui in Pauli tempora incidebant, Cabbaliſtae, de quibus Apoſtolus conqueritur, quod *μωρὰς ζητήσεις, ſtultas quaeſtiones moveant* ad *Tit. III, 9. quod inſaniant περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας· ἐξ ὧν γίνεται Φθόνος, ἔρις, βλασφημίαι, ὑπόνοιαι πονηραὶ, circa quaeſtiones, et verborum lites, quae invidiam, meras contentioner, blaſphemias, ſuſpiciones malas, Eccleſiae pariant 1. Tim. VI. 4.* Quod certe non tantum de veteribus, ſed etiam de recentioribus Cabbaliſtis intrepide quis affir-

affirmare poſſit, qui ſaepius tot quaeſtiones conglomorant, ut illarum numerus vix iniri queat. Quod ne confictum putes, ex immenſo ſubtilitatum et quaeſtionum pelago quaedam monſtroſa Hen. Mori ζητήματα in medium afferam; Sic enim de Regno naturae has quaeſtiones movet: *Quousque ſe extendat Spiritus univerſi, certosne quosdam ad limites, an in infinitum? Aetheremne atque aërem tantum permeet, an ipſum globum etiam terreſtrem? Animae brutorum an ſpirituales ſint, et quousque per mundum diſſeminatae? Spiritus mundi quid poſſit, et qualis ſit illius vis Magica? Quaenam potiſſimae leges ſint Spiritus Naturae in ordinanda mundi materia? Quae pugnae illius cum contumaci materia et quae victoriae? An Spiritus univerſi capax ſit gaudii et gloriationis, ſenſusque grati et ingrati, et quaenam illius rei ſint indicia?* Pariter de Regno Angelico ita quaerit: *Quousque extendatur Regnum angelicum, et an totus aether atque aër plenus ſit illorum turmis? Sintque, qui igni atque aquae praeſideant, quique praefecti ſint gentium ac populorum? Qualis Angelorum vis ſit in movendis mutandisve mundi elementis, in malis averruncandis infligendisve, in cogitationes iniiciendo hominibus et arcana revelando? Quae ſit Politia Angelica, quae leges? Quot et quinam ordines Angelorum?* Ita et de Eccleſiae Regno diſquirit: *Quae fuerit illius latitudo a principio ad mundi finem? Quales virtutes emicent in veris illius membris, puta in ſubdomando veteri homine, in edendis miraculis, in vaticiniis aut effundendis aut interpretandis? Quae ſit illius Politia, Ordinationes et Leges? Quinam praecipui Legislatores? An principalis vereque Regia illius imperii Lex non ſit ſincerus Dei amor atque proximi? Quae ſint Eccleſiae praelia, arma ac victoriae? Quibus tandem modis eventurum ſit, ut omnia mundi Regna Chriſti ſive Meſſiae regna fiant? Quo Eccleſia nitatur fulcro, humani arbitrii libertate, an aeterno Dei foedere? Vid. eius Epiſt. ad Compilatorem ſcripta T. I. P. II. Cabb. Den. p. 56.* Teſtis quoque eſt, famoſus Sileſiorum Fanaticus, *Quirinus Külmannus* in Libro ſuo, quem Neubegeiſterten Böhmen inſcribit, ubi plus quam decies centena millia quaeſtionum Theoſophicarum proponit, ad quas, ut reſpondeant, ſed non more Scholaſtico, Theologos noſtrates graviter et ſerio obteſtatur; qua de re videatur Venerandus Dn. D. VVernsdorffius in *Diſſertatione de Fanaticis Sileſiorum, et ſpeciatim Quirino Külmanno.* β) Etiam Cabbaliſtae amant κενοφωνίας, ſive, ut quidam ex veteribus Eccleſiae Patribus volunt, καινοφωνίας h. e. *novas*

 inuſi-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

inuſitatas, a communi Prophetarum et Apoſtolorum loquendi ratione recedentes, obſcuras et perplexas loquutiones, ſub quibus maximam latere ſapientiam putant, a nemine perceptibilem, niſi ab iis ſolis, aut, qui Spiritu eorum ſunt praediti, iudice Euſebio *L. IV. Praep. Evang. C. II.* Id quod in Simone Mago iam olim pia antiquitas obſervavit, cui ſolenne admodum erat, doctrinas peſtilentiſſimas ignotis, barbaris et ſucco loliginis ſuffuſis terminis comprehendere, quales ſunt *Galdalboth, Abraxos, Prunicus, Kaulakan* etc. quibus peculiarem, eamque divinam vim, omina divina, ſignificationes inuſitatas adſcribebat. Quemadmodum etiam de veteribus illis haereticis, *Ovitis*, *Gnoſticis*, *Valentinianis*, aliisque, qui foetus Cabbaliſtici ſunt, Epiphanius idem aſſerit, ſic ſcribens: *Φαντασιάζουσιν ὀνόματα βαρβαρικὰ, Φιλοτιμούμενοι τοὺς ἀπείρους διὰ τῶν ὀνομάτων ἐκπλήξεως καὶ ἐπιπλάσου τῆς τοῦ ὀνόματος βαρβαρωνυμίας*, de *Haer. p. 39.* Denique γ) *meris allegoriis et aenigmatibus myſteria ſua, quae fingunt de Deo, de Angelis, de hominibus, etc. Cabbaliſtae obvelant*, quo nemo mentem eorum, niſi qui ſit artis filius, valeat expiſcari. Documento eſſe poteſt aenigma hoc, ex *Siphra de Zeniutha*, ſive *libro occultationis* deſumptum: דעל לא הוה מתקלא לא הוו משגיחין אפין באפין ומלכין קדמאין מיתו h. e. *antequam Bilanx eſſet, non reſpiciebat facies ad faciem, et Reges primi mortui ſunt.* Vid. *Cabbala Denudata T. II. P. II. in Siphra de Zeniutha ſ. libro Myſterii p. 3, 4, 5.* Quo aenigmate Cabbaliſtico bene obſcuro fons indicatur omnis mali omniumque defectuum, qui ſunt in mundo, et qui alioqui in operibus Dei locum habituri non fuiſſent. Per mortem enim Regum Sodomiticorum intelligitur fractio Sephirarum inferiorum, quae dicuntur Daat, Geſed, Gedola, Gebura, Thiphereth, Nezach, et Hod, uti infra pluribus in Cabbala Dogmatica illud adducemus. *Interna* vero *Forma* Cabbalae ipſe eſt *Fanaticiſmus*, qui intrinſece eam conſtituit, et vita eius dici meretur: Quaecunque enim in Cabbala traduntur, plane fanatica ſunt, aut fanaticiſmum redolent, uti ex Cabbala Hermenevtica et Dogmatica infra ſatis diſpaleſcet.

§. XIX. Sed forſitan haec ſcientia Cabbaliſtica vel ideò amplectenda et excolenda eſt, quod non niſi bonum finem intendat et *iter nobis aperiat ad beatitudinis faſtigium et ſummam felicitatem*

tem conſequendam, uti Reuchlinus docet *Lib. II. de Cabbala p. 782.* At vero fictitia haec eſt felicitas, qua ſibi hic Cabbaliſtae blandiuntur. Alium longe finem Cabbalae Apoſtolus innuit, nempe quod *hominem a fide ad infidelitatem abducat.* Quamobrem etiam Timotheum ſuum ab illa dehortatur, dicens: *profanas vocum inanitates et oppoſitiones falſo nominatae ſcientiae fuge, quam nonnulli profitentes* περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν *circa fidem aberrarunt, 1. Tim. VI, 21.* Nec alius finis Cabbalae eſſe poteſt. Sicut enim ex corrupta aut venenata medicina nil aliud, quam venenatus morbus aut praeſentiſſima mors enaſcitur; ita et ex falſa illa γνώσει, tanquam veneno quodam, non niſi corruptio fidei totalis, imo ipſe animarum interitus poteſt oriri. Idcirco etiam ab Apoſtolo cum gangraena comparatur, quae ſerpit et contagioſa quaſi eſt, atque animabus, quas ſemel invaſit, certiſſimum affert exitium. Speciatim vero Cabbalam ad *Enthuſiaſmum* hominem abducere, vel illud eſt indicio, quod ἀποθέωσιν ſive ſtatum Deiformem, quem homo in hac vita obtingere posſit, crepat. Quis enim neſcit, quam multa Cabbaliſtae iactitent de abſtractione animae a materialitate et introverſione in ſe ipſam, de elevatione et aſcenſione animae in fundum Dei, de immerſione ſui in Enſoph de ὁμοιώσει τοῦ Θεοῦ ſeu aſſimilatione Dei, qua homo non ſolum divinus Deoque fiat ſimillimus, ſed etiam Deus ipſe evadat? Quem etiam latet, quod libri Cabbaliſtici ubique perſonent revelationibus divinis, itemque familiari Angelorum commercio, quo homines quaevis arcana cognoſcere aliisque praenunciare poſſint? Quae omnia eſſe enthuſiaſtica nemo non facile concedet. Deinde quod eadem ad *Paganiſmum* hominem inducat, doctrina de Adamo Kadmone et perſonis divinis, ſi accuratius eam penſites, ſatis ſuperque eſt documento. Quid enim gentiles coeca religionis ſuperſtitione abrepti aliud nugabantur, quam alios atque alios Deos, quos ſub forma hominis nonnunquam repraeſentabant. Nec mirum eſt, cum ex Ethnicorum Philoſophia Cabbala dimanaverit, quod hominem ad Ethniciſmum iterum abducat. Exempla etiam huius rei nobis ſunt in promptu, quae in veteri olim Eccleſia fuere obvia. Unde enim factum eſt, ut *Valentiniani, Manichaei* et alii plures haeretici tot Aeonas, ſive Deos, finxerint, quam quod Cabbalae doctrinas fuerint ſequuti. Denique Cabbalam *Atheiſmo* patrocinari, iamdudum quamplu-

plurimi eruditi animadverterunt, ex quorum numero Henr. Morus, ſtrenuus alioqui Cabbaliſmi defenſor, prae reliquis eſt nominandus, qui in *Fundamentis Philoſophiae, ſive Cabbalae Aeto-paedo-meliſſaeae* ſatis erudite id demonſtravit. Nec minus Io. Georg. VVachterus in peculiari libro, quem *Spinoſiſmum* in Jüdenthum vocat, idem ex principiis Cabbaliſtarum ad liquidum perduxit; ut proinde vehementer miremur, quod, cum rectiora prius obſervarit, nunc in ſequiorem ſententiam concedat et Cabbalam ab omni Atheiſmi vitio liberare ſuſtineat, imo *illos praecipitanter iudicare* autumet, *qui Cabbalam Atheiſmum docere perhibeant*; *in Elucidario Cabbaliſtico*, quem non ita pridem evulgavit. *c. V. p. 76.* At non decebat virum quadratum ita ſubito eſſe mutabilem in re tam ardua et ab aliis pridem perſpecta. Namque et Venerandus Dn. D. Neumannus, Patronus et Praeceptor noſter ſumma mentis religione ad cineres usque colendus, hoc argumentum privatis horis ſedulo examinavit, et nuper admodum in *Diſputatione eruditiſſima de Chriſtianiſmo Stoico, hodie redivivo,* ad oculum demonſtravit. *§. 14. ſeqq.*

§. XX. *Fructus* de cetero generat mortiferos, varios errores variasque haereſes procreando. Sic Apoſtolorum tempore et ſequentibus primis Eccleſiae Patrum ſeculis *Simoniani*, *Menandriani*, *Nicolaitae*, *Cerinthiani*, *Carpocratitae*, *Marcionitae*, *Manichaei*, *Meſſaliani*, *Gnoſtici*, *Valentiniani*, et alii eiusmodi furfuris homines, iſtis temporibus Eccleſiam turbantes, figmenta ſua maximam in partem ex Cabbala deſumpſerunt et ad Chriſtianiſmum poſtea tranſtulerunt. Equidem Colbergius, vir certe doctus et acie mentis pollens, haec, quae Gnoſtici et illorum ὁμόψηφοι crepant, dogmata ex Platoniſmo derivat; Verum longe convenientius illa deducantur ex Cabbala, quam Philoſophia Platonica, dum multa apud haereticos iſtos invenies dogmata, quae minime ex Platonicorum Philoſophia, commode tamen ex Cabbaliſtarum principiis, poſſunt derivari. Ut rem exemplo comprobemus, multa Gnoſtici de *Zyzygia* garriunt, cuius nullibi Plato, ſubinde tamen Cabbaliſtae, mentionem fecerunt. Quod enim Cabbaliſtis eſt *Bilanx*, illud Gnoſtici *Zyzygiam*, h. e. foeminam viro vel maſculo iunctam appellare conſveverunt. Deinde etiam hoc accedit, quod iſti haeretici quamplurimas Cabbaliſtarum voces, etſi non ſine interpolatione et levi immutatione, retinuerint. Id

quod

Digitized by Google

quod ex *Irenaeo* ad oculum patet, qui nominum horum aliquot recenſet, cum *Nicolaitarum* errores deſcribit. *C. XXXIV. Lib. I. adverſus Haereſes.* Affert enim ibidem vocem *Ialdaboth*, quae vox compoſita eſt ex ילד *filius*, *natus*, et אבות *patres*, idemque valet ac *ebara patrum ſoboles*. Item vocem *Iao*, quomodo ſaepius Graecos nomen Tetragrammaton יהוה efferre ſolere pro comperto habemus. Porro adducit vocabulum *Zabaoth*, quod eſt Ebraeorum nomen Dei צבאות. Nec non commemorat vocabulum *Adoneus, Eloheus, Oreus*, quae omnia Ebraica ſunt et leviter tantum immutata vocabula. *Adoneus* enim nil aliud eſt, quam ארני, *Eloheus* idem eſt, ac אלהים, et *Orcbus* idem valet, ac vocabulum אור, quod lucem ſignificat, quae omnia ſatis produnt, quod ex Cabbala et Iudaeorum Philoſophia haeretici iſti vocabula quaedam petierint. Hinc non defuerunt, qui his fundamentis innixi quorundam iſtorum haereticorum placita cum Cabbaliſtarum doctrinis conferre, et utrorumque paralleliſmum demonſtrare, id operae ſibi ſumpſerunt. De *Nicolaitis* erudite et ex inſtituto hoc oſtendit Io. Mich. Langius in *Comment. Theolog. de Genealogiis Iudaicis p. 64. ſeqq.* De *Valentinianis* non minori diligentia et ingenii acumine id ad liquidum perduxit D. Buddeus, Theologus Ienenſis *in Diſſert. de Haereſi Valentiniana.* In eo tamen non facile conſenſum ab omnibus impetrabit, quod ex abuſu tantum Cabbalae Valentinianorum placita nata fuiſſe, ſibi perſvadeat, cum fabuloſa ſit, quanta quanta eſt, Cabbala. Non tamen plane inficior, quod ſimul Platonicam Philoſophiam aliasque ſectas, eo tempore florentes, ſecuti multa ex iisdem in uſus ſuos tranſtulerint. Ut enim haereſis quandoque non ex uno principio fluit, ita etiam illos praeter Cabbalam aliorum quoque opiniones et placita recepiſſe, mihi valde perſvaſum habeo. Ceterum de *Fanaticis*, tum ſuperiorum temporum, tum hodierni aevi, non eſt, quod quis dubitet, illos Cabbaliſtarum traduces eſſe, cum non tantum Cabbalam commendent et recipiant, ſed et pro principio agnoſcant, et, tanquam ſcientiam divinam, alto ſupercilio venerentur. Quid? quod et dogmata eorum maximam in partem ſua faciunt, eaque plenis quaſi plauſtris, quod dolendum, in verae Eccleſiae pomeria important.

§. XXI. Equidem hodierni Cabbalae Patroni non cum Iudaeis eiuſmodi effectus arti huic aſſignant, ut per eam mirabilia et occulta effici, futura praedici, ſpirituum familiaritatem conciliari poſſe, aſſerant, quippe qui Cabbalam hanc longiſſime ſequeſtratam cupiunt; interim tamen aliarum, earumque inſignium, utilitatum catalogum nectunt, quas Cabbalam cultoribus ſuis praeſtare pollicentur. Dicunt enim, uſum illius eſſe ingentem in interpretatione Script. S. ſtylum eius multum conducere ad meliorem multarum phraſium V. et N. Teſtamenti intelligentiam, adeo, ut Scriptura tota ſtraminea ſit, niſi Cabbala ſuffulciatur. Porro affirmant, multum conferre eandem ad doctrinae Chriſtianae veritatem demonſtrandam: ex illa addiſci poſſe, non tam Moſaicam, quam Chriſtianam doctrinam: ibi Trinitatis myſterium, ibi Verbi incarnationem, ibi Meſſiae divinitatem, ibi de peccato originali, de illius per Chriſtum expiatione doceri, ut vel omni orbi, Iudaeis, Perſis, Turcis, et cumprimis Atheis convincendis Cabbala ſufficiens et proficua eſſe poſſit. Nec minus viam ad concordiam Chriſtianam felicius ſterni poſſe, pergunt, ſi Philoſophia illa Pagana, quam pro fonte omnis diſcordiae habent, reiiceretur, et contra dogmata Cabbaliſtica frequentius admitterentur meliusque innoteſcerent. Maxime vero Cabbalam uſum ſuum in convertendis Iudaeis exerere, gloriantur, ita, ut ſi non aliam ob cauſam, ob hanc tamen unicuique addiſcenda et excolenda foret. Nam, non parum exinde impedimenti, quod Iudaeorum converſionem difficilem reddat, oriri, contendunt, primo, quod illi terminos noſtros non intelligant, vel, tanquam inſolitos atque abſurdos, abhorreant, cum e contrario, ſi ipſorum phraſibus uteremur, omnia Chriſtianiſmi myſteria, quae tam abſurda eis videntur, molliſſima interpretatione proponere iisdem poſſemus. Deinde, id loco impedimenti eſſe conqueruntur, quod Paganam et Graecanicam Philoſophiam ſequamur, erga quam inveteratum huic genti eſt odium, praeſertim cum haec Philoſophia Iudaica, quod modum tractandi concernit, multo magis cum Scriptura S. quam Paganica noſtra, conveniat, et per ſe obſcuritate ſua profundiſſimam ubique reportet venerationem. Et has utilitates Cabbalae cumprimis crepant *Rittangelius*, *Henr. Morus*, *Camp. Vitringa*, *Ziroldus*, *Autor Introd. ad Hiſt. Phil. Ebraeorum*, et, qui hac in parte hos

hos facile poſt ſe relinquit *Autor Cabb. Denudatae*, qui ideo prae reliquis adeundus.

§. XXII. Sed quam ficta haec omnia ſint, quae de Cabbala hic praedicantur, quivis primo ſtatim intuitu coniicere poteſt. Et α) quidem, quod ad primum attinet, falſum omnino eſt, *Cabbalam ſolidi quid conferre ad ſolidam divinorum oraculorum interpretationem.* Quomodo enim tenebrae plus quam Cimmeriae lucem divinae luci affundant? Quid teſtimonium Dei cum ſeculi huius ſapientia commercii habeat, quae, tum ratione rerum, tum verborum, quantum coelum a terra diſtat, a divinioribus codicis divini monumentis eſt ſeiuncta? β) Nec magis illud veritati reſpondet, *quod foetus Cabbaliſtici robur aliquod puriori religioni addant, veraeque pietatis opus egregie promoveant.* Quaſi vero divina veritas per ſe non firmo ſatis ſtaret talo, niſi a tam infirmo et caduco ſuffulciretur fundamento. Et quis unquam adduci poſſit, ut credat, a figmentis eiusmodi veritatem divinam ſtabiliri, quae ludicra plane, ridicula et inepta ſunt, adeo, ut potius veritatem divinam corrumpant, aut nimium quantum labefactent. Quis etiam γ) tam credulus ſit, ut ſibi perſvaderi patiatur, *Cabbalam omnes Atheos in ſtuporem et admirationem ſui abripere, eoque perducere, ut, quicquid in Chriſtiana religione ſit credendum, ambabus manibus recipiant avideque amplectantur.* Prius enim, quam Atheum eo adducas, multa ei perſvadeantur oportet. Primo, nugas et phantaſmata Cabbaliſtarum pro myſteriis habeat, deinde credat, veteres Cabbaliſtas a Moſe et Prophetis, et quidem familiariſſime, fuiſſe inſtructos: porro credat, quod Moſes et Prophetae non modo talia, quae Cabbaliſtae docent, olim docuerint, ſed etiam omni ſtudio has ſuas doctrinas occultarint; denique credat, quod ſcripta Moſis et Prophetarum abſque myſteriis iſtis Cabbaliſticis non intelligantur. Quae omnia, ante, quam Atheus calculo ſuo ſit approbaturus, vereor, ne Script. S. fidem penitus vocet in dubium, et magis magisque in impietate ſua confirmetur; illuſis omnibus, qui his ſubſidiis inſtructi, ad ſaniorem mentem eum revocare tentant.

§. XXIII. Quod vero Cabbalae ope δ) *diſtracti variisque religionum heterodoxiis diſſipati homines in unius verae religionis ſocietatem redigi queant*, hoc certe eſt, de quo omnium maxime adhuc du-

D 2, bita-

bitatur. Cum enim unio religionum, quocunque modo ineunda, res ſit, quae votis quidem expeti, vix autem expectari poteſt, quis tam abſurdus ſit, ut ſibi imaginetur, Cabbalam, doctrinam illam confuſam, obſcuram et aenigmaticam, inſtrumentum eſſe poſſe, cuius auxilio religiones inter ſe diverſae coagmentari, commodeque aduniri poſſint. Quod ſi enim ex Graecanica Philoſophia, quae longe planior et ſimplicior hac Theoſophica eſt, tot tantaeque haereſes ſubinde propullularunt, quot, quaeſo, non ex Cabbala exorituras exiſtimes, quippe quae longe obſcurior eſt ſcientia, et tota griphis repleta, ita, ut ipſi Cabbaliſtae, ſi myſteria artis ſuae enodare velint, in diverſas partes ſubinde rapiantur. Praeterea haec ſcientia a Pythagorico - Platonica et Stoica Philoſophia non penitus differt, ſed in quamplurimis dogmatibus amice cum illa conſpirat. Sicuti autem de his Sectis in vulgus notum eſt, quod genetrices omnium ferme haereſium in antiqua Eccleſia extiterint, quid, quaeſo, aliud de Cabbala ſentiendum eſt, qua de conſtat, quod iam olim quodvis Haereticorum genus pari ratione virus ſuum ex ea hauſerit, illoque Chriſtianam religionem turpiter conſpurcarit.

§. XXIV. Quando denique *ε*) ſibi Cabbaliſtae blandiuntur, *converſionem Iudaeorum, toties hactenus deſideratam et expectatam, commodisſime per Cabbalam poſſe promoveri*, qua illud ratione commode fieri queat, nullus video. Poſito enim, quod eandem normare velis ad veritatem Chriſtianam, viam praeeunte Henr. Moro, Iudaeus dubio procul hanc σύγχυσιν irridebit, ipſam religionem divinam, his figmentis commiſtam, tanquam mera putaque figmenta, pari modo explodet. Olfecit hoc mature celebris Cabbalae Denudatae compilator, qui ideo Morianas etiam meditationes Iudaeis intolerabiles eſſe, paſſim pronunciat. Videatur *T. I, P. II. p. 80.* Ubi id imprimis Moro improbat, quod *Adamum primum* pro λόγῳ Platonico, et, ex indole Arianorum, pro ſecunda Trinitatis perſona venditet, ita ad illum ſcribens: *Ex iſta hypotheſi, niſi inſignis fiat notionum confuſio, id non poteſt deduci. Cum nempe iuxta Scripturae verba in divinis omnino retinenda ſit appellatio filii, haec ſane, ſi Iudaeorum vulgo reddi debet tolerabilis, nulli perſonarum Iudaicarum applicari poterit, quam τῷ Seir Anpin, qui ſecundum generalem numerationum conceptum reperitur in Tiphereth, et a Cabbaliſtis proprie et conſtanter Filius appellatur.* Hactenus ille.

Digitized by Google

ille. Si vero Chriſtianam religionem cum Cabbaliſticis doctrinis conciliare, illamque ad has inflectere inſtituas, quae Iudaeos convertendi Methodus ipſi Autori Cabbalae Denudatae arridet, abſurdum hoc, imo impium eſſet inſtitutum, quo Iudaei magis in erroribus obfirmarentur, et ad Paganiſmum potius, quam Chriſtianiſmum, traducerentur. Vanum itaque illorum eſt aſſertum, qui eo usque extollunt hanc artem, ut in Academiis praeeunte peculiari quodam magiſtro docendam, et ad Scripturae ſcrutinium adhibendam ſvadeant. Praeſtat enim aeternis tenebris ſepultum eſſe, quod ad Chriſtianiſmum Pagano-Chriſtianum tam pronam ſternit viam.

CAPVT II.
DE
CABBALA HERMENEVTICA.

§. I.

DE Cabbala in univerſum ſuperiori Capite nonnihil commentati ſumus, proximum nunc eſt, ut de eius ſpeciebus, illis maxime, quae a Chriſtianis quoque Cabbaliſtis hodie recipiuntur, et ſubinde interpolantur, pauca pro inſtituti noſtri ratione diſſeramus. Tradentes autem primo loco primam Cabbalae ſpeciem, quae *Cabbala Hermenevtica* inſcribi poteſt, ante omnia monendum putamus, nos neutiquam hoc loco de quacunque Iudaeorum interpretandi ratione acturos, eandemque per omnia reiecturos, cum non ignoremus, multa et apud Iudaeos inveniri, quae non exiguam in explicandis Script. locis utilitatem interpreti praeſtent, et cum regulis noſtris Hermenevticis ſaepisſime conveniant. Quo referri poſſunt *XIII. Regulae R. Iſmaelis*, nec non *XXXII. Canones R. Elieſeris*, de quibus conſtat, quod maximae apud Iudaeos ſint

autoritatis, et plurimam partem a Chriſtianis etiam interpretibus approbentur. Vide Schickardum *in Pechinath Happeruſchim p. 159.* Hottingerum *in Theſ. Phil. L. II. C. III. Sect. III. p. 560.* nec non Io. Iulium Struvium, qui ex Autore *Halichoth Olam* plurima congeſſit, *in Rudimentis Logicae Ebraeorum.* Sed circa id potius noſtrum in praeſens occupabitur ſtudium, ut Cabbaliſticam tantum interpretandi rationem in conſpectum ponamus, illamque ſumma, qua fieri poterit, brevitate, accuratiori examini ſubiiciamus.

§. II. *Eſt* vero *Cabbala Hermenevtica*, ſi naturam eius cognoſcere velis, nihil aliud, quam *abſtruſa Scripturas interpretandi ratio, cuius opera homo fanaticus ad falſum textus ſacri ſenſum per media ſpuria et inepta etorquendum perducitur, quo ſomnia et pſeudophiloſophemata ſua eo melius palliare et fucum iisdem illinere queat.* Dicitur ita ab *ἑρμηνεία*, ſive *interpretatione Scripturae*, non quidem vera, ſed falſa, non quae in Scriptura fundata eſt, ſed quae *ἰδίας* eſt *ἐπιλύσεως*, et Scripturam deturpat, corrumpit atque in meros propemodum luſus convertit. *Abſtruſam* autem hanc vocamus interpretandi rationem, ideo, quod interpres eiusmodi non ſimplici et genuino modo ſecundum ductum Chriſti et Apoſtolorum in explicatione Script. S. procedat, ſed ſymbolico et obſcuro modo ſenſus ex verbis Script. myſticos eliciendi utatur, per quem non modo falſum pro vero arripitur, ſed etiam clariſſima Script. loca depravantur, et ad falſa dogmata detorquentur.

§. III. *Subiectum* huius Cabbalae Hermenevticae, quod ſenſum Scripturae myſticum, abſtruſum et reconditum recludere conatur, *Iudaeus* eſt, qui neque illuminatus, neque media ad inveniendum Scripturae ſenſum idonea novit, aut noſcere cupit, ſed ingenio ſuo indulgens pro lubitu ſcripturas interpretatur, et ad ſuos praeconceptos ſenſus vel tormentis easdem inflectit. Ulterius quoque ad Subiectum huius Cabbalae *hominem Fanaticum* referas, qui non mediis ordinariis, ſed *interno Spiritus afflatu internum Scripturae ſenſum aſſequi allaborat*, neque cum iudicio Script. ſcrutatur, ſed melancholia

lia plerumque laborans coniecturas ridiculas, explicationes ſtolidas, collationes locorum minime parallelorum, et ſimilia, eruit ac proponit. Praeterea, *praeconceptis opinionibus laborans vitioſis affectibus frena laxat*, quibus laxatis non aliter ipſi evenire poteſt, quam, ut in varios errores variaque praecipitia prolabatur, et omnia ſacrarum Pandectarum dicta Cabbaliſmum redolere ſibi imaginetur. Denique *Scepticiſmo et Pyrrhoniſmo indulget*, quo eo facilius quidlibet admittere et defendere poſſit. Hinc etiam pro ſcopo non habet ſolidam Script. interpretationem, ſed ſcepticam tantum de illius ſenſu vel notitiam vel diſputationem. Quae certe omnia ſigillatim facili negotio probari poſſent, ſi res, quae per ſe nota, aut ad minimum iam ab aliis abunde evicta eſt, probatione adhuc aliqua indigere videretur.

§. IV. Quantum ad *Obiectum* Cabbalae Hermenevticae, ſigillatim hoc loco eſt *Scriptura S.* quam partim Cabbaliſtae Iudaei, partim Chriſtiani, regulis ſuis Hermenevtico-Cabbaliſticis pervertunt. Et quidem ad Iudaeos quod attinet, illi, ut V. Teſtamentum pro principio tantum agnoſcunt, ita vario modo id dilacerant, et ex eo multos ac ſtolidos plane ſenſus eliciunt. Et quo felicius in hoc interpretandi modo verſentur, Codicem non punctatum ſequuntur, non neſcientes, literis non punctatis diverſas pro lubitu vocales ſubſterni, diverſosque ſenſus facili negotio poſſe iisdem exſculpi. Uti hoc artificium laudat, aliisque commendat R. Bechai in *Lib. Num. C. XI.* referente Hottingero *in Theſaur. Phil. L. I. C. II. Sect. VII.* qui plura de hac re ibidem ex aliis Iudaeorum Magiſtris collegit. Horum veſtigiis e Chriſtianis hodierni quoque Cabbaliſtae preſſius inſiſtunt, qui non tantum totam Scripturam V. T. ad Cabbalam revocant, ſed et imprimis N. T. more prorſus Cabbaliſtico interpretantur. Maxime vero omnium Cabbalae ſuae veſtigia in Apocalypſi Iohannea quaerunt, de qua affirmare non verentur, quod, quanta quanta ſit, nil, niſi Cabbaliſtica in ſe contineat. Ut in tanta teſtimoniorum multitudine vel unico exemplo hoc confirmem, prodeat in medium D. Ziroldus, qui intrepide illud aſſerit his verbis: Die wahre Cabbala iſt die H. Schrifft / welche Moſes zu ſchreiben angefangen. It. Das Geſetz Moſis iſt Symboliſch. It. Was iſt die Offenbahrung Johannis anders / als ein ſolches geheimes und Myſtiſches Buch

Buch/ das gleichſam von innen und auſſen beſchrieben iſt. Et qui ſunt alii eiusmodi floſculi, quos larga manu ſparſas deprehendes in *Introd. Hiſt. Eccl. C. III. §. 17, 18, ſeqq.*

§. V. Diſpiciendum igitur et de *Fine* eſt, quem Cabbaliſtae Hermenevtae intendunt, ac ſibi praefixum habent. Eſtque ille *Myſtici ſenſus Scripturae inquiſitio.* Hunc enim finem unice quaerunt, atque ſic totam ſcripturam licentioſis interpretamentis in allegorias meras transformant. Duplicem autem conſtituunt ſcripturae ſenſum, alium *Literalem*, alium *Myſticum.* Per *Literalem* non intelligunt eum, quem Spiritus S. verbis θεοπνεύστοις, ſive ſint propria, ſive tropo affecta, proxime intendit, ſed quem verba in propria et nativa ſua ſignificatione gignunt, etſi intentioni dicentis aliquando non congruat. Nuncupatur alioqui *ſenſus literae*; Iudaeis appellatur פשוט פשט, alias מקרא, item גולי וחיצון *revelatus et exterior*: Fanaticis, *ſenſus* ἐξωτερικὸς, der äuſſerliche Krafft-loſe Buchſtabe der Schrifft/ ut *Ziroldus* loquitur. Per *Myſticum* vero intelligunt arcanum Dei et internum ſenſum, quem in quovis dicto reconditum eſſe perhibent, eumque unice pro vero et genuino Sp. S. ſenſu admittunt. A Iudaeis hic nominatur אגדה it. דבר גדל nec non נעלם ופנימי *occultus et interior*, a Fanaticis, die innerliche und geiſtliche Meynung deſſelben: Die Myſtiſche und geheime Erklärung / der geiſtliche Verſtand. It. Der ausgebreitete Verſtand/ der ſich in alle vorhergehende und zukünfftige Secula erſtrecket / ut Peterſenius illum vocat *in Praefatione* der Warheit des herrlichen Reichs J. Chriſti. Totus autem in eo eſt Ziroldus, ut hunc myſticum Script. ſenſum extollat, aliisque perſvadeat, illum primum Moſi a Deo datum, ac deinceps per Sacerdotes et Prophetas orali traditione ad Esdram usque propagatum fuiſſe et conſervatum. Atque hanc interpretandi rationem veram fuiſſe veterum Cabbalam, adſtruere conatur: de quo teſtatur eius *Introd. in H. E. C. III. p. 242, 243, ſeqq.* ubi etiam, quod ridiculum, illos, qui ſenſum hunc Script. myſticum admittere refragantur, et eundem errorem cum eo errare detrectant, auſu plus quam dictatorio, haereticis annumerat, dicendo: Wer dieſe Myſtiſche und geheime Erklärung verleugnet/ der verleugnet die Göttl. Warheit *c. l. p. 242.* it. *p. 243.* Es ſind alſo gefährliche Feinde des Chriſtenthumbs/ welche wider

der die wahre Myſtiſche Lehre ſtreiten/als vordeſſen Apion, und ſonderlich Celſus geweſen / welchen Bücher und andern Feinde des Creutzes anietzo nachfolgen. Sed bona verba, quaeſo, Zirolde; Forſitan potiori iure haec in te, quam in viros ita bene meritos, quadrant, dum Eccleſiam eiusmodi dogmatibus obruis, quae et Iudaeis et Pontificiis nimium quantum patrocinantur. Manifeſto documento eſt hoc ipſum dogma de duplici Script. ſenſu, quod ex Iudaeorum et Pontificiorum Scholis, licet iam dudum a Noſtratibus exploſum et reiectum, iterum in ſcenam reducis.

§. VI. Nunc ſequuntur *Inſtrumenta* et *Principia*, quibus Cabbaliſtae ad finem ſuum conſequendum utuntur. Atque illa ſpuria, falſa et fanatica plane ſunt, neque ad verum Script. ſenſum eruendum quicquam idonea. Quod paulo rectius conſtabit, ſi ſingula accuratiori mentis trutina ponderata fuerint. Primum autem illorum eſt *Figura literarum Ebraearum mechanica*, cuius ope propriam vim verborum, profundioremque illorum ſenſum inveſtigari et erui poſſe ſibi perſvadent, quanquam in modo ſenſum hunc eruendi nondum inter ſe conveniant. Nam Iudaei Cabbaliſtae tantum ex literarum figura extra ordinem facta in locis quibusdam Script. ſenſus myſticos exſculpunt; Fanatici vero, quos noſtrum fert ſeculum, illis adhuc ſuperſtitioſiores ſunt, ex figura quoque literarum ordinaria, quin imo ex ſono earum, ſymbolicum ſenſum exſculpturi, cum arbitrentur, literas Ebraeorum eſſe hieroglyphicas, neque ex nuda impoſitione hominum aliquid ſignificare, ſed etiam, quocunque tandem modo, rerum eſſe ſymbola, quae cum rebus ipſis aliquam habeant connexionem et convenientiam. Sententiae huic adſtipulatur Ziroldus, qui hanc literarum ſcientiam pro antiquiſſima Cabbalae parte venditat, imo Maſorae partem conſtituit, quamvis in hac ne verbo quidem illius iniiciatur mentio. Ita vero in *Introd. ad Hiſt. Eccl. C. III. p. 252.* ſuam ediſſerit mentem: Es war der Alten Lehre / daß die Ebräiſche Sprache Hieroglyphiſch und Symboliſch ſey/ alſo daß ein jeder Buchſtabe und Wort / durch den Klang und Figur/dem Verſtande etwas geheimes vorſtelle. Conf. *C. II. p. 89.* Figuram deinde literarum diſtinguit in *ordinariam* et *extraordinariam*, utramque ſymbolicam eſſe, et ſenſus myſtici argumenta continere pronuncians *C. III. p. 252.* ubi pergit: Die Figur der Buchſtaben iſt entweder die ordentliche/ wie

ſie insgemein gebildet werden / da ein jeder Buchſtabe ſeine ſonderbare Bedeutung hat / welches Buxtorff nicht in acht genommen / oder ſie iſt außerordentlich / da ein Buchſtabe gröſſer oder kleiner / verkehret oder außerordentlich punctiret iſt. Hactenus ille.

§. VII. Videamus itaque, quid myſterii Iudaei Cabbaliſtae *in extraordinaria literarum figura* ſibi polliceantur. Conſtat inter omnes, quod literae quaedam in Scripturis inveniantur, quae praeter conſvetudinem vel maiores, vel minores, vel extra ordinem ſint punctatae, ex quibus omnibus Cabbaliſtae miros quandoque ſenſus, imo ridiculos ſaepe, etorquent. Sic in voce ולבכתה *Kaph parvum* extat, cum de Abrahamo Spiritus S. commemorat, quod ad plangendum Saram et deflendum eam conſederit, *Gen. XXIII. 2.* ubi Iudaei Cabbaliſtae obſervant, ibidem loci indicari, planctum et luctum propter mortuos viris eſſe minuendum, ne modum excedant, et hoc etiam Abrahamum feciſſe, externum literae ſignum ſignificare iidem contendunt. Plura exempla non vacat hic colligere; vide ſis ea apud Buxtorffium in *Tiberiade C. XIV. XV. et ſeqq.*

§. IIX. Hos duces ſine tergiverſatione ſequitur *Ziroldus*, novus Cabbaliſta, qui exacte horum Symbolorum ſenſum indagare, eundemque ex ſtructura literarum demonſtrare haud ſibi diffidit. Nimirum, ſi literae maiores ſint, quam ordinarie formari ſolent, tum maius quid ſignificare: ſi minores vulgari figura, etiam minus quid denotare: ſi denique inverſae aut extra ordinem punctatae deprehendantur, etiam perverſum et extraordinarium quid easdem innuere opinatur. Exempli loco ponit literam *Nun*, quam *propagativam* eſſe, *progreſſumque* ubivis notare perhibet. Quando itaque Nun peculiari modo expreſſa eſt, et maioris apparet formae, *maiorem* quoque ſignificare *progreſſum, ut Exod. XXIV, 17.* נצר *ſervans benignitatem in millia.* Si vero Nun minori forma exſcriptum conſpicitur, *lentum et exiguum* involvi *progreſſum*, uti *Thr. IV, 14.* de coecorum progreſſu uſurpatur, נעו *errarunt coeci in plateis.* Si vero *retrogreſſus* indicari debeat, Nun quoque inverti, ſicque non obſcure *rem inverſam* inſinuari, ut *Num. X. 35.* ubi ſymbolum ſit inverſionis hoſtium, *cum proficiſceretur* בנסע *arca.*

§. IX. Ve-

§. IX. Verum hanc ſcribendi rationem non genuinum eſſe interpretandi inſtrumentum, quo interpres verum et indubitatum Sp. S. ſenſum eruere poſſit, ſed obſcurum tantum et ſymbolicum principium, ex quo nihil certi cuiquam colligere liceat, perſvaſum mihi habeo, his, quae ſequuntur, rationibus adductus. Nam primo, doctrina illa de literarum ſymbolicarum ſenſu, ſcripto non comprehenſa, tota fere intercidit, teſtante Buxtorffio, viro in hoc literarum genere verſatiſſimo, in *Tiberiade C. XIV.* Deinde, figura literarum eſt obſcura, neque certum ſenſum nos docet. Tametſi etiam in genere haec ſymbola nos moneant, aliquid myſterii hic latitare, et ſpeciatim, ſi litera eſt maiuſcula, etiam maius quid indicari, ſi minor, etiam minus quid ſignificari; tamen, quis praeciſe ſenſus arcanus illis ſubſit, ita nobis obſcurum eſt, ut citra temeritatis notam minime id poſſit determinari. Et, ſi ſenſus horum ſymbolorum certo pateat, unde, quaeſo, factum eſt, ut Rabbinorum Magiſtri in tam diverſas partes abierint, et ridicula interdum gloſſemata de illis literis excogitarint? Equidem Rabbinorum interpretationes, ſi ſaniores ſunt atque ſobriae, ut ſpeculationes iucundas, recipimus, non tamen eo dementiae delabimur, ut pro oraculis easdem habeamus atque veneremur. Suffragatur in hoc nobis modo laudatus Buxtorffius in *Comment. Maſor. C. XIV. 135.*

§. X. Faceſſat itaque iactantia Ziroldi, ex hac literarum figura certo ſenſum illum myſticum erui poſſe, gloriantis. Nihil tale quid ſibi Buxtorffius, at quantus vir! arrogavit, qui forſitan multiiuga ſua lectione melius ſphyngem hanc indagare et ornare potuiſſet, ſi ex literis his tale quid ad liquidum perduci poſſe, putaſſet. At vero, non tantum de extraordinaria literarum figura haec talia profert, ſed et ulterius progreditur, et ex ipſa *literarum figura ordinaria* idem demonſtrare et elicere conatur. Quod inſtitutum in tantum plane irritum habetur, in quantum ὀφθαλμοφανερῶς apparet, nil minus in literis illis, quam myſteria quaedam, aut ſenſum aliquem myſticum, contineri. Cui aſſertioni ut fidem faciamus, ipſum Autorem audire iuvat, profunda, ſi diis placet, myſteria ediſſerentem. Sic enim Alphabeti Ebraici literas interpretatur: א Iſt ein bewegender Geiſt. ע Etwas dicker und ſtärcker. ה Der etwas ge-

genwärtiges weiſet. ה Deutet die Vereinigung. ש Die ſtär⸗ckeſte Bewegung. ש Die mittelmäßige Bewegung. ר Bedeu⸗tet den Ausgang. ר Den Auf⸗und Fortgang. ת Die Nachfol⸗gung. ז Den Klang. צ Den ſtärckeren Klang. ג Das Krumme. ט Die krumme Bewegung. כ Die Umbwendung. ק Eingebogen. י Die Krafft in die Höhe. ם Vermehrung. ל Widerwärtigkeit. כ Fortgang. ו Verbindung. ב Die Einfaſſung. ם Die Höhle. Setzet man zwey Buchſtaben zuſammen / ſo vermehret es die Be⸗deutung / und hat jeder Buchſtabe ſeine Emphaſin. Videatur *Introd. eius ad Hiſt. Eccl. C. II. p. 89.* Et hoc eſt illud Alphabetum Cabbaliſti-cum, in quo tamen litera ט eſt omiſſa, quaſi, quod myſterii capax non ſit, exilio digna. Hoc illud ſubſidium, per quod in intimos Scripturae receſſus penetrare, emphaſes vocum accuratius inveſti-gare, et ſenſum Scripturae reconditum recludere intendit. Haec illa lucerna, unde, neſcio, quam nobis lucem in interpretatione Script. pollicetur; quae tamen, ſi ex vero rem iudices, ad plus, quam Cimmerias tenebras interpretem abducat.

§. XI. Atque, ut paulo accuratius hanc hypotheſin exami-nemus, non abs re erit, de argumentis ſimul, quibus illam confir-mare annititur, nos eſſe ſolicitos. Primum *a Sinenſium lingua* petit, quae, ut hieroglyphica eſt, ita etiam Ebraeam pari modo Symbolicam eſſe contendit. Sed a Sinenſium lingua velle colligere ad Ebraeam, idem mihi videtur, ac affirmare velle, Aegyptiorum et Ebraeorum Linguam fuiſſe eiusdem indolis et naturae. Non enim Linguae Ori-entales ita *παράλληλοι* ſunt, ut, quod in altera receptum, etiam in altera uſu veniat. Alterum argumentum *ab irregulari literarum figura* ar-ceſſit. At nulla eſt collectio, quaedam literae inuſitata figura ſcriptae in Codice Ebraeo inveniuntur, et aliquid myſtici habent. E. tota lingua eſt hieroglyphica. E. omnes literae aliquid myſterii in ſe continent. Idem enim eſſet, ac ſi velles ex omnibus militibus fa-cere centuriones. Videatur hic Vener. Bücherus in *Menſe Pietiſtico IV. p. 188, 189.* Provocat quoque *ad Scriptores antiquos*, qui docuerint Linguam Ebraeam eſſe hieroglyphicam. At quinam ſunt veteres iſti, qui cau-ſae huic patrocinentur? De Helmontio et quibusdam recentioribus quidem conſtat, quod tale quid confinxerint, ſed qui veteres illi ſint

ſcire

ſcire velim. Neque illos commemorat, neque verba illorum in medium affert; et tamen toties ad illos provocat, quoties ſe ſe occaſio offert. Forte itaque D. Ziroldus cum ſociis ſuis illi veteres ſunt, qui ſenſum literarum hieroglyphicum canonizare volunt. Porro *Maſoram* in ſubſidium vocat, *quam cum Cabbala eandem eſſe* arbitratur. At, quae nova haec Philologia eſt? Equidem Maſorethae, quod ſcimus, collegerunt libros Canonicos, numerarunt verſus, voces et literas etc. Sed de ordinaria literarum figura, earumque Symbolica ſignificatione, ne veſtigium quidem in ſcriptis eorum apparet. Si dicas, Maſoram, ſucceſſu temporis, aut ad minimum multas illius partes, interiiſſe, de quibus hodie ne γρῦ conſpiceretur, probandum tibi eſt, quod haec ſcientia de literis Symbolicis, quam Cabbalam appellas, Maſorae inſerta fuerit, alioqui eadem felicitate, qua haec affirmantur, a nobis poſſunt negari. Et ne illud omittam, unde tandem probet, quod ſignificationes iſtae, quas effingit, literis competant? Si ex figura ſignificatus hos hariolari velit, pari libertate alii excogitari poſſent, qui eiusdem forte ponderis eiusdemque futuri eſſent autoritatis. Sic quando ille dicit, ר notare den Auf- und Fortgang/ dicere quis poſſet, notare hanc literam den Queer- und Untergang/ quod figurae magis congrueret. Cur ה ſignificaret das Gegenwärtige/ quam potius das Zukünfftige. Cur ו die Krafft in die Höhe/ et non die Krafft in die Tieffe/ et ſic porro. Nulla enim utrobique ſubeſt cauſa. Siccine et de Theologis valebit, quod alioquin πολυθρύλλητον habet:

— — — *Pictoribus atque Poëtis*
Quodlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas?

§. XII. Nunc illi tres interpretandi modi, *Gematria*, *Notarikon*, et *Temurah*, a Cabbaliſtarum ſchola ita dicti, commemorandi veniunt, quibus myſteria ex vocabulis exſculpunt, et ſenſum in iis latentem eruere ſatagunt. Vocabula, ut recte iudicat Doctiſſimus *Burnetus*, quae plus ſatis novitatem olent, totumque artificium arguunt figmenti humani. גמטריא *Gematria* enim vocabulum Graecum eſt, et idem, ac γεωμετρία, tantaeque amplitudinis, ut uno Philologorum conſenſu in *Arithmeticam*, *Figurativam*, et *Architectonicam* diſpeſcatur. *Arithmetica* eſt explicatio vocis e numeris, quos iuxta valo-

 rem

rem literarum ſuarum arithmeticum continet, ſenſum aliquem myſticum inde inferendi. Ut *Gen. XXI*, 7. mirum videtur Iudaeorum Magiſtris, quod haec loquendi formula מי מלל לאברהם *quis dixiſſet Abrahamo?* in ſacro Codice minus alioqui uſitata, hic iveniatur. Quare *Raſchi* de illis ita mentem ſuam exponit: שינה הכתוב ולא אמר דבר גימטריא שלו ק׳ בלומר לסוף מאה לאברהם *Permutat Scriptura, nec dicit* דבר (ſed מלל) *e cuius ſupputatione emergunt 100. ad ſubinnuendum, poſt exactos ab Abrahamo centum aetatis annos*, quis hoc praeſumpſiſſet hoc ipſi eventurum eſſe? *Figurativa*, altera Gematriae ſpecies eſt, Ebraeis צוריית dicta, qua ex quantitate et diverſa affectione literarum myſteria eruuntur. Sic *Eſ. IX. 7. Mem*, litera finalis, vel *Mem clauſum*, praeter morem linguae ſanctae, in medio vocis לםרבה ad firmamentum regni Chriſti indigitandum, quemadmodum מ apertum in fine, *Neh. II*, 13. rupturam exhibeat, reperitur. De quo interpretandi modo iam antea §. VII. egimus. *Architectonica* denique verſatur circa dimenſiones, ſtructuram atque proportionem aedificiorum ſacrorum, quorum in ſacris fit mentio, ex quibus proportionibus myſteria Cabbaliſtae quaerunt, atque Chriſtum ubique praefiguratum eſſe ſibi imaginantur.

§. XIII. Alter interpretandi modus נוטריקון *Notaricon* dicitur, absque dubio a *Notariorum*, ſive ſcribarum publicorum conſvetudine, quibus hoc moris eſt, ut loquitur *Elias in Tisbi*, abbreviare voces, et per unam quandoque literam integram dictionem exprimere. Conſiſtit vero in eo, cum (α) *unius vocis ſingulae literae ut integrae voces explicantur*, (β) cum *plurium vocum certae literae ad unicam vocem exſtruendam combinantur.* Illiusmodi exemplum eſt *1. Reg. II*, 8. ubi David Salomoni filio vindictam de Simei ſumendam committens inquit: *Iſte maledixit mihi maledictione* נמרצת *acerrima.* Ex hac voce Cabbaliſtae contumelioſa, quae Simei protulit, verba colligunt, et per Notaricon ſequentem in modum exponunt: נואף מואבי רוצח צורר תועבה id eſt, *adulter, Moabita, homicida, hoſtis, abominatio.* Quaſi dixiſſet David: Simei convitiis acerrimis me proſcidit, atque turpiſſimo auſu errata mea mihi exprobravit, vocando me adulterum etc. ea de cauſa, mi fili, eum non impunitum relinquas. Altera τῦ *Notaricon* ſpecies conſiſtit, ut diximus, in extractione vocis alicu-

alicuius ex pluribus, idque fit vel *per Aphaereſin*, ſeu initiales literas; Cabbaliſtae ראשי תיבות *capita dictionum* vocant: vel per *Apocopen*, ſeu finales literas; Cabbaliſtae סופי תיבות *fines dictionum* appellant. Illius modi exemplum eſt *Geneſ. I, 12. terra produxit herbam* מזריע זרע למינהו *ſeminificantem ſemen ſecundum ſpeciem ſuam.* Vbi *Baal Turim* ex initialibus vocum iſtarum literis unicam vocem מזל quae *ſidus* denotat, conſtruit, inde evicturus שאין לך עשב שאין לו מזל *quod nulla ſit herba, ad quam non concurrat ſiderum influxus.* Huius exemplum eſt *Gen. II. 3.* ברא אלהים לעשות *creavit Deus ut faceret.* Ex literis enim finalibus inter ſe iunctis reſultat vox אמת *veritas*, ſecundum illud *Pſ. CXIX, 160. Caput vel initium verbi tui eſt Emeth, ſive veritas.*

§. XIV. Reſtat tertius Cabbaliſticae huius interpretationis modus, תמורה *Temurah* dictus, ſive *permutatio*, quae eſt medium interpretandi, per quod vel ex literarum transpoſitione, vel commutatione, ſenſus myſticus infertur. Dividitur in הפוך *inverſionem literarum*, et צירוף *combinationem literarum.* Prioris exemplum eſt primum S. codicis vocabulum, בראשית, quod Cabbaliſtae per inverſionem literarum exponunt, h. m. א׳ בתשרי *prima dies Tiſri*, atque inde evincunt, mundum creatum fuiſſe autumni tempore. Poſterior permutandarum literarum modus, quem צירוף appellant, eſt operoſior, dum Iudaei peculiaria ſibi fingunt Alphabeta, ex quibus mira ſaepius efformare ſolent. R. Eleazar CCXLII. Ziruphim, citante Rittangelio ad *librum Iezira p. 28.* deſcribit, qui inſimul refert, dari bis mille ſedecim combinationes, in tabula minori, omiſſis ceteris tabulis, et coniugationibus, combinationibus et commutationibus, quas non facile cuiusquam intellectus capere, nec memoria ſervare poſſit. Ex illis vero duo imprimis modi pervulgati ſunt: alter *rectus* et *naturalis*, alter *praepoſterus*, vel *retrogradus.* Dividitur enim Alphabetum Ebraicum in duas aequales partes, literaeque ſibi invicem ordine parallelo ſubſcribuntur, vel ordine *recto* et *naturali*, ut τῷ א reſpondeat ל et ſic porro. Vel ordine *retrogrado*, ut τῷ א reſpondeat in linea parallela ת etc. Primus modus a literis ſibi invicem

vicem reſpondentibus אלבם *Albam*, *poſterior* אתבש *Atbaſch*, nuncupari ſolet. Vſus in eo conſiſtit, ut literae ſibi invicem reſpondentes inter ſe permutentur, et ita una vox pro altera ſubſtituatur. Prioris modi exemplum eſt apud Ieſaiam, *Cap. VI, 6.* in voce טבאל quod ſubſtitutum creditur in locum nominis proprii Regis Iſrael רמליהו vel רמלא ſicut alibi idem legitur. Poſterioris vero modi exemplum reperitur apud Ieremiam *XXV, 25.* in fictitio nomine ששך quod ſubordinatum ſit hac lege nomini בבל dictis ſupra de cauſis. His addunt nonnulli alium modum אטבח *Atbach*, qui conſiſtit in combinatione duarum diverſarum literarum, quae exacte conficiunt *denarium*, vel *centenarium*, vel *millenarium*, quarum deinceps una accipitur pro altera. Vid. B. Salomo Glaſſius *Phil. S. L. II. Part. I. Tract. II. Sect. III. Art. VII. p. m. 303. ſeqq.* Conferatur quoque Reuchlinus de *Arte Cabbaliſtica L. III. p. m. 708.* Menaſſe Ben Iſrael *Concil. in Exod. Quaeſt. V.*

§. XV. His ita expoſitis, lectori ſatis conſtare poterit, quid iſti interpretandi modi ad ſenſum Scripturae eruendum conferre poſſint. Tanti quidem hoc artificium Cabbaliſtae faciunt, Iudaei aeque ac Chriſtiani, ut exinde omnem ſapientiam, tam Moſen, quam Salomonem petiiſſe arbitrentur. Vnicum Reuchlinum audiamus, qui ex *Ramban* haec verba citat: *Dixit Ramban in Geneſeos exordio, quod eiusmodi omne Moſi traditum per portas intelligentiae, contentum eſt in lege divina Iudaeorum, vel ſenſu literali, vel allegorico per dictiones, vel Arithmeticas ſupputationes, vel geometricas literarum figuras, ſive deſcriptas, ſive transmutatas, vel harmoniae conſonantias ex formis characterum, coniunctionibus, ſeparationibus, tortuoſitate, directione, defectu, ſuperabundantia, minoritate, maioritate, coronatione, clauſura, apertura, et ordine reſultantes. Et per illam legem a divino Spiritu adeptus eſt Salomon omne, quod noverat, et ſapientiam ſuper ſapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum.* Nos vero de his interpretandi modis ſic ſtatuimus, tolerari quidem eas poſſe, ſi tanquam ingenii luſus, ac anagrammatismorum inſtar, et delectandi, et illuſtrandi cauſa proferuntur, nec fidei analogiae repugnant; Sed ſi ad eruendum Scripturae ſenſum et ad dogmata fidei probanda, vel ſtabilienda adhibentur, reiiciendos illos in totum putamus.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI. Ad alia Cabbalae Hermenevticae inſtrumenta progredior, quibus Scripturam S. depravare ſolent. Notum eſt ac pervulgatum quod Scripturae interpres *Contextum* obſervare debeat, itemque *Scopum*, nec non *Obiectum* dicti, ex quibus, tanquam certis et infallibilibus κριτηρίοις, Scripturae ſenſum inquirit, eundemque occultum manifeſtat. Qui vero mos et conſvetudo Cabbaliſtis hac in parte eſt receptus? Illi neque ad *Contextum*, neque ad *Scopum*, neque ad *Obiectum* reſpiciunt, ſed ſine omni rationis ſtrictura, ſolo occurſu appellationis rei, quam tractant, contenti, textus exponunt, et ad dogmata Cabbaliſtica, vel probanda, vel illuſtranda, rapiunt. Illud iam dudum Henr. Morus Cabbaliſticis Scriptoribus exprobravit, quamvis ipſe non parum ab illis deflectat; in *ulteriori diſquiſitione ad Compilatorem ſcripta*, quae extat *in Cabb. Denud. C. II. p. 210.* Nec exemplis id probare nobis difficile erit. Sic in *Idra Rabba, ſeu Synodo magna, Sect. X. §. 201.* verba *Pſ. XVIII, 9. Fumus aſcendit e naſo eius, et ignis ex ore eius perdet etc.* de naſo Microproſopi exponuntur, et ſic ſpurciſſimo commento verba Hieropſaltae depravantur. Simile exemplum reperitur in eodem Tractatu, *Sect. XLIV*, §. *1103.* quo verba Davidis, *Pſ. XLIX, 13. Atqui homo in gloria non permanebit*, peſſime ad ſomnia Cabbaliſtica rapiuntur. Loquitur divinus vates de impio, cuius gloria non perpetua erit; Illi vero, negligentes Scopum et Contextum, ſic locum noſtrum exponunt: *Adam, qui dignior eſt omnibus dignis, non pernoctabit, quia ſi ſic fieret, aequipararetur iumentis, quae pereunt.* Statuunt enim Cabbaliſtae, ſi quis vocatur homo, et anima eius ab eo egreditur, et moritur, illum in domo relinquere eſſe vetitum, ut pernoctet ſuper terra, propter dignitatem illius corporis, in quo nulla apparet vilitas. Videatur idem Tractatus *c. l.*

§. XVII. Eodem modo ludibrio ſeſe ſubinde exponunt illi, qui hac noſtra tempeſtate, aut brevi ante, prodierunt, Cabbaliſtae. Inſtar omnium ſuo id exemplo confirmare poteſt Doctiſſimus alioqui *Cabb. Denudatae Compilator*, quippe qui non veretur clariſſima N. T. oracula turpiter depravare, eademque, neglecto omni ſaepius textu et contextu, ad ſomnia Cabbaliſtica referre. Evolvatur, ſi lubet, *Synopſis Libri Sohar* a R. Iiſaſchar concinnata, et *Cabb. Denud. T. II. P. I.* inſerta, ubi manipulum eiusmodi floſculorum, qui id copioſiſſime evincent, deprehendere licebit. Sic *Tit. IV.* §. *2.* dicti Tracta-

tus,

Digitized by Google

vicem; reſpondentibus אלבם *Albam, poſterior* אתבש *Atbaſch*, nuncupari ſolet. Vſus in eo conſiſtit, ut literae ſibi invicem reſpondentes inter ſe permutentur, et ita una vox pro altera ſubſtituatur. Prioris modi exemplum eſt apud Ieſaiam, *Cap. VI, 6.* in voce טבאל quod ſubſtitutum creditur in locum nominis proprii Regis Iſrael רמלא vel רמליהו ſicut alibi idem legitur. Poſterioris vero modi exemplum reperitur apud Ieremiam *XXV, 25.* in fictitio nomine ששך quod ſubordinatum ſit hac lege nomini בבל dictis ſupra de cauſis. His addunt nonnulli alium modum אטבח *Atbach*, qui conſiſtit in combinatione duarum diverſarum literarum, quae exacte conficiunt *denarium*, vel *centenarium*, vel *millenarium*, quarum deinceps una accipitur pro altera. Vid. B. Salomo Glaſſius *Phil. S. L. II. Part. I. Tract. II. Sect. III. Art. VII. p. m. 303. ſeqq.* Conferatur quoque Reuchlinus de *Arte Cabbaliſtica L. III. p. m. 708.* Menaſſe Ben Iſrael *Concil. in Exod. Quaeſt. V.*

§. XV. His ita expoſitis, lectori ſatis conſtare poterit, quid iſti interpretandi modi ad ſenſum Scripturae eruendum conferre poſſint. Tanti quidem hoc artificium Cabbaliſtae faciunt, Iudaei aeque ac Chriſtiani, ut exinde omnem ſapientiam, tam Moſen, quam Salomonem petiiſſe arbitrentur. Vnicum Reuchlinum audiamus, qui ex *Ramban* haec verba citat: *Dixit Ramban in Geneſeos exordio, quod eiusmodi omne Moſi traditum per portas intelligentiae, contentum eſt in lege divina Iudaeorum, vel ſenſu literali, vel allegorico per dictiones, vel Arithmeticas ſupputationes, vel geometricas literarum figuras, ſive deſcriptas, ſive transmutatas, vel harmoniae conſonantias ex formis characterum, coniunctionibus, ſeparationibus, tortuoſitate, directione, defectu, ſuperabundantia, minoritate, maioritate, coronatione, clauſura, apertura, et ordine reſultantes. Et per illam legem a divino Spiritu adeptus eſt Salomon omne, quod noverat, et ſapientiam ſuper ſapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum.* Nos vero de his interpretandi modis ſic ſtatuimus, tolerari quidem eas poſſe, ſi tanquam ingenii luſus, ac anagrammatismorum inſtar, et delectandi, et illuſtrandi cauſa proferuntur, nec fidei analogiae repugnant; Sed ſi ad eruendum Scripturae ſenſum et ad dogmata fidei probanda, vel ſtabilienda adhibentur, reiiciendos illos in totum putamus.

§. XVI.

§. XVI. Ad alia Cabbalae Hermenevticae inſtrumenta progredior, quibus Scripturam S. depravare ſolent. Notum eſt ac pervulgatum quod Scripturae interpres *Contextum* obſervare debeat, itemque *Scopum*, nec non *Obiectum* dicti, ex quibus, tanquam certis et infallibilibus κριτηρίοις, Scripturae ſenſum inquirit, eundemque occultum manifeſtat. Qui vero mos et conſvetudo Cabbaliſtis hac in parte eſt receptus? Illi neque ad *Contextum*, neque ad *Scopum*, neque ad *Obiectum* reſpiciunt, ſed ſine omni rationis ſtrictura, ſolo occurſu appellationis rei, quam tractant, contenti, textus exponunt, et ad dogmata Cabbaliſtica, vel probanda, vel illuſtranda, rapiunt. Illud iam dudum Henr. Morus Cabbaliſticis Scriptoribus exprobravit, quamvis ipſe non parum ab illis deflectat; in *ulteriori diſquiſitione ad Compilatorem ſcripta*, quae extat *in Cabb. Denud. C. II. p. 210.* Nec exemplis id probare nobis difficile erit. Sic in *Idra Rabba, ſeu Synodo magna, Sect. X. §. 201.* verba *Pſ. XVIII, 9. Famus aſcendit e naſo eius, et ignis ex ore eius perdet etc.* de naſo Microproſopi exponuntur, et ſic ſpurciſſimo commento verba Hieropſaltae depravantur. Simile exemplum reperitur in eodem Tractatu, *Sect. XLIV, §. 1103.* quo verba Davidis, *Pſ. XLIX, 13. Atqui homo in gloria non permanebit*, peſſime ad ſomnia Cabbaliſtica rapiuntur. Loquitur divinus vates de impio, cuius gloria non perpetua erit; Illi vero, negligentes Scopum et Contextum, ſic locum noſtrum exponunt: *Adam, qui dignior eſt omnibus dignis, non pernoctabit, quia ſi ſic fieret, aequipararetur iumentis, quae pereunt.* Statuunt enim Cabbaliſtae, ſi quis vocatur homo, et anima eius ab eo egreditur, et moritur, illum in domo relinquere eſſe vetitum, ut pernoctet ſuper terra, propter dignitatem illius corporis, in quo nulla apparet vilitas. Videatur idem Tractatus *c. l.*

§. XVII. Eodem modo ludibrio ſeſe ſubinde exponunt illi, qui hac noſtra tempeſtate, aut brevi ante, prodierunt, Cabbaliſtae. Inſtar omnium ſuo id exemplo confirmare poteſt Doctiſſimus alioqui *Cabb. Denudatae Compilator*, quippe qui non veretur clariſſima N. T. oracula turpiter depravare, eademque, neglecto omni ſaepius textu et contextu, ad ſomnia Cabbaliſtica referre. Evolvatur, ſi lubet, *Synopſis Libri Sohar* a R. Iiſaſchar concinnata, et *Cabb. Denud. T. II. P. I.* inſerta, ubi manipulum eiusmodi floſculorum, qui id copioſiſſime evincent, deprehendere licebit. Sic *Tit. IV. §. 2.* dicti Tracta-

F tus,

tus, qui *Porta Poenitentiae* inſignitur, *e dictis in Geneſin* hic legitur Aphoriſmus: *Qui traditur in manus inimici, difficilius eripitur, quam ex aliis periculis*, ad quem illuſtrandum dictus Autor, obtorto quaſi collo in ſubſidium rapit dictum, *Ioh. XVIII, 36. Regnum meum non eſt de hoc mundo; Si ex hoc mundo eſſet, miniſtri mei utique decertarent, ne traderer Iudaeis.* Eodem Titulo hoc dogma proponitur: *Duo ſunt palatia: in uno Praefectus eſt angelus quidam illis, qui ſibi propoſuerunt poenitentiam agere, ſed morte praeventi ſunt; et in altero Angelus praefectus eſt illis, qui in vita ſua converſi ſunt:* Ad hunc locum illuſtrandum eodem modo refert dictum, *Ioh. XIV, 2. in domo Patris mei multae manſiones ſunt*, quaſi Chriſtus et Cabbaliſta unum idemque intendiſſent. Item *Tit. V.* qui agit *de Ordine Iudicii, e dictis in Numeros et Deuteronomium* §. 1. haec Theſis legitur: *Deus ſanctiſſimus atque benedictus iuſtos aſſumit in mundum venturum, ut protegant mundum iſtum, quoniam et ipſi ſunt de mundo.* Ad quam rectius intelligendam dictum ex *Ebr. II, 17.* affert, quo Apoſtolus dicit: *Debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret, et fidelis Pontifex in divinis, ad expiandum peccata populi.* Nolo eſſe prolixior, ne lectori his talibus nugis nauſeam creem.

§. XIIX. Ceterum, et *Parallelismus* Cabbaliſtarum datur, idemque a vero Scripturae Parallelismo plane diverſus. Etenim Cabbaliſtarum mos eſt, eiusmodi loca Scripturae conferre, in quibus neque aliqua materiae analogia, neque mutuus erga ſe invicem eſt reſpectus. Adde, quod ſolam verbi unius alteriusque convenientiam tanti faciunt, ut non tam vim vocis, aut phraſeos, exinde exſculpant, quam ipſarum rerum, quae in diverſis textibus tractantur, neſcio, quam myſticam congruentiam, praeter autoris intentionem, et ſine bonae conſequentiae regulis, praetendant, atque venentur. Tali ratione dictum *Gen. XXV, 29.* interpretantur, cum divinus Scriptor de Eſavo ait: ויבא עשו מן השדה והוא עיב *et venit Eſavus ex agro, et erat feſſus*; quibus autor *Libri, Medraſch Rabba* inſcripti, vult indicari, tria peccata Eſavum eodem die commiſiſſe, quorſum Prophetam Malachiam reſpexiſſe putat, quando Deum ſic loquentem inducit: *Iacob dilexi, et Eſau odio habui C. I. 3.* Primum autem peccatum, ab Eſavo perpetratum, *furtum* fuiſſe contendit, probationem petens ex verbo בוא quod *Obad. v. 5.* cum furibus coniunctum legitur; hinc, cum idem verbum Eſavo, citato Geneſeos loco, iungatur, ab eo furtum

tum eſſe commiſſum concludit. Alterum eius peccatum fuiſſe, quod *virginem iam deſponſatam vi ſtupraverit*, illudque eluceſcere ex voce שׂדה *ager*, quae cum *Deut. XXII*, 27. de ſtupro ſponſae, in agro repertae, illato uſurpetur, exinde infert, Eſavum eodem vitio ſeſe contaminaſſe. Denique, ex vocabulo עיף *feſſus*, alibi occiſis iuncto, ut *Ierem. IV*, 31. colligit, Eſavum *homicidii factum fuiſſe reum*. Cui aſſertioni patrocinium inſuper in literis initialibus trium de Eſavo citatorum vocabulorum ויבא שׂדה עיף quaerit, quippe quae combinata nomen עשׂו *Eſavi* conſtituant. Videatur omnino Rittangelius ad *Librum Iezirah p. 32. ſeq.* Quod exemplum, vel unice adductum, de corrupto et coacto Cabbaliſtarum Paralleliſmo nos ſatis informare poteſt, quam ſaepe ſcilicet ſine calce et arena loca Scripturae combinent, et ex his, ubi nulla ſunt, myſteria exſculpant.

§. XIX. Ad finem huius doctrinae nobis properandum eſt, neque tamen omittendum illud, quod Cabbaliſtae inter praecipua interpretandi principia, *exactam dogmatum Cabbaliſticorum cognitionem* referant, maximumque in ea praeſidium ponant. Res teſtimoniis non eget; nec deſunt exempla, quorum unum atque alterum, e recentiorum praeſertim ſcriptis hauſtum, hic ſubiungere ab inſtituti ratione non videbitur alienum. Pervulgata in Scriptis Cabbaliſtarum, ſi quae alia, eſt doctrina *de decem Sephiroth*, et *quatuor mundis*, quam ubivis ferme in Scripturis, praeſertim N. T. quaerunt, et in explicatione divinorum oraculorum unice reſpiciunt. Videre hoc licet in Autore *Obſ. I. T. I. Obſ. Hallenſium*, qui, pleraque Scripturae dicta Cabbaliſmum redolere, eundemque per illa ſtabiliri, putat. Manifeſto documento ſunt momenta illa ex *Epiſtola Pauli ad Coloſſenſes* deprompta, quae nil minus, quam doctrinam Cabbaliſticam continent, mirifice tamen ab Autore hoc ad Cabbaliſmum detorquentur. Cum enim Apoſtolus *Patrem* commemorat, cui ſingulares ob tot Coloſſenſibus exhibita beneficia gratias agit, ſtatim hoc כתר ſive *coronam Cabbaliſticam* innui opinatur. Pergit Apoſtolus, et dicit: *quod nos idoneos reddiderit ad participandam ſanctorum ſortem in luce*; hoc ſtatim de *Cabbaliſtarum* אין סוף *Enſ ph* interpretatur. Ait ille: *Qui nos e tenebrarum poteſtate vindicatos tranſtulit in regnum ſui chariſſimi filii*; hoc ad *Cabbaliſtarum certamen*, quod de regno tenebrarum et regno

 lucis

lucis fingunt, refert. Aſſerit divinus ſcriptor, liberationem hominum per Chriſtum factam his verbis: *in quo filio liberationem habemus per eius ſanguinem, peccatorum veniam*; Nec illud veteres Cabbaliſtas ignoraſſe contendit, quippe qui ideo inter cognomina חכמה ת"ע *ſapientiae*, i. e. *filii* (ut ex ingenio hanc Sephiram explicat) poſuerint *bellum*, quia videlicet Chriſto certamen cum morte et principe inferorum noſtri loco erat ſubeundum, ut adeo in ipſo haberemus liberationem. Appellat ille Filium Dei *imaginem inaſpectabilis Dei, et primogenitum omnis creaturae:* tam luculentum hic Cabbalae veſtigium ſe reperiſſe gloriatur, ut nullum amplius, quin ex Scriptura S. Cabbala demonſtrari poſſit, ſuperſit dubium, ſiquidem apud Cabbaliſtas אדם קדמון ſit *primogenitus totius rerum naturae*, quemadmodum inter cognomina חכמה ת"ע *primogenitura* referatur. Denique, cum Apoſtolus Filio Dei creationem huius univerſi tribuit: *quod per ipſum condita ſint omnia, tum quae in coelis, tum quae in terra ſunt, tum adſpectabilia, tum inaſpectabilia, et ſolia et dominatus etc.* ex his verbis tres mundos Cabbaliſticos, nempe *Briaticum*, *Iezirathicum* et *Aſiathicum*, exſculpit, talemque divino Apoſtolo affingit ſententiam, quae ipſi nunquam in mentem venit; quemadmodum et ſubſequentia verba de *ordinibus* et *claſſibus Angelorum*, quas Cabbaliſtae ſomniant, ſplendido quodam figmento, interpretatur. Quam oraculorum divinorum explicationem, ſi quis pio animo ſecum reputat, in has profecto cogitationes, et quidem non immerito, delabi poſſet, ne a Iudaeis quidem, uti a Chriſtiano hic factum eſt, Scripturae veritatem peiori unquam modo fuiſſe depravatam et corruptam. At enim vero, quid haec talia miremur? Cum enim Cabbalae et Cabbaliſtarum patrocinium in ſe ſuſceperit, non potuit quin Cabbaliſtarum mores ſequeretur, quibus id imprimis eſt ſolenne, quacunque occaſione textus Scripturae S. allegare, ſi modo nomen et appellatio rei, cuius in textu veſtigium ſit, occurrat.

§. XX. Eodem modo in explicanda *Apocalypſi Iohannea* Autor hic procedit, in quo inſtituto alii iam dudum ipſi facem praetulerunt, viamque exemplo ſuo praeiverunt. Tale autem de hoc libro fert iudicium, quod ſcopus Iohannis fuerit, ab initio usque ad finem huius libri, *fata Regni Meſſiae exhibere*, ſimulque demonſtrare,

per

per *ſeptem periodos* regnum illud eſſe duraturum. Cuius rei probationem petit ex verbis illis, quibus Iohannes ſeptem Aſiae Eccleſiis, *C. I. 4.* ſigillatim commemoratis, pacem et gratiam ſic apprecatur: *Iohannes ſeptem Eccleſiis, quae in Aſia, gratia vobis et pax ab eo, qui eſt, qui erat, et qui venturus eſt, et a ſeptem ſpiritibus, qui ſunt coram throno ipſius.* Vbi numerum, quem verba continent, ſeptenarium, hieroglyphicum, more Cabbaliſtarum, eſſe contendit, ita, ut per illum reiteratum ſeptem Ecclſiae periodi binis vicibus indigitentur, quanquam, nil minus, quam periodos iſtas in textu hoc innui, conſtet. Inſuper, pergit, ad *doctrinam Sephiroth* hoc commate alludi; in quo ὁμοψήφους habet *Rittangelium, Henr. Morum, Chr. Knorrium, Ziroldum*, quorum ſcripta in vulgus emiſſa abunde id teſtantur. Etenim per eum, *qui eſt, qui erat, et qui venturus eſt*, Sanctam Triadem, tribus prioribus Sephiroth deſignatam: per *ſeptem* vero *Spiritus*, reliquas ſeptem Sephiroth intelligunt. Quod vero haec interpretatio locum in textu non inveniat, exinde eluceſcit. *Primo*, ſi Iohannes per eum, *qui eſt, qui erat, et qui venturus eſt*, intellexiſſet tres Deitatis perſonas, dubio procul non adieciſſet verba, *et in Ieſu Chriſto. Deinde*, Iohannes ab Angelis gratiam et pacem Eccleſiis implorare non potuit, alias aequales illos conſtituiſſet ſummo Deo, quod de divino ſcriptore ne quidem ſuſpicari poſſumus. Rectius itaque ſenſum textus exprimunt, qui per *ſeptem ſpiritus* ipſum *Spiritum S.* intelligunt, de quo videatur Celeberrimus Gedanenſium Theologus, Dn. Bücherus, *Menſ. IV. Pietiſtico p. 196.* Addatur, Vir doctiſſimus, Camp. Vitringa, *in Sac. Obſervat. L. I. C. II. p. 138.*

§. XXI. Et haec ſit brevis Cabbalae Hermeneveticae delineatio, prout, hodierno imprimis tempore, a fautoribus ſuis exhibetur, cuius naturam accuratius expiſcari nobis placuit, quo anſam forte aliis eandem intimius inſpiciendi, vanitatemque illius explorandi ſuppeditemus. Antequam vero hic diſcedamus, totique huic capiti coronidem imponamus, argumenti huius ſublimioris gravitas omnino requirere videtur, ut quaeſtionem illam, quae hodie maxime in controverſiam venit, annectamus, eandemque ſumma, qua fieri poteſt, brevitate excutiamus. Quaeritur nimirum: *An Cabbala quaedam vera, Hermenevtica, ſeu traditio quaedam oralis de ſenſu Script. myſtico in V. T. usque ad tempora Apoſtolorum extiterit, et ex N. T. ſcriptis ſufficienter poſſit demonſtrari?* Affirmat hanc quaeſtionem

F 3 Petrus

Petrus Cunaeus, Vir eruditiſſimus, in Libris de Rep. Ebraeorum conſcriptis *L. III. C. VII.* ubi, *didicerat*, inquit, *Moſes, myſtica quaedam legis interpretamenta, dum in monte Horeb ſermonem cum Deo ſereret. Haec poſt illum aliis data commiſſaque fuere, qui Sp. Sancto agebantur.* Cuius in ſententiam eunt *Seldenus, Richardus Simonius, Henr. Morus, Rittangelius, Knorrius, Ziroldus, Autor Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr.* et plures alii, quorum verba chartis his illinere, cum magnitudo operis, tum feſtinatio noſtra prohibet. Nos vero illam negamus, adiectis tamen, quae minime negligendae ſunt, quibusdam limitationibus. *Primo*, non inficiamur, quod Sacerdotes et Prophetae, ac reliqui excellentiores Doctores, verum et genuinum de verbis Scripturae ſenſum tenuerint, populoque propoſuerint, ac eundem ad poſteros, ſive oretenus, ſive ſcripto, transmiſerint, monſtratis ſimul ex textu rationibus et κριτηρίοις, ex quibus diiudicare debebant, hunc verum Spiritus S. eſſe ſenſum. Non enim veritati conſentaneum eſt, Deum ita verbum ſuum Prophetis inſpiraſſe, ut ne ſenſum illius percepiſſent. Neque, Deum tam immitem fuiſſe erga populum ſuum, credamus, ut verbum ſuum illi ſaltem praedicari, non aeque explicari curaverit. Sic, cum Moſes in Hiſtoria ſua ſacra refert, Patriarchis apparuiſſe *Angelum aliquem*, cui divinos tribuit honores et ἐπίθετα, ſcivit omnino Moſes, cognitum habuerunt Prophetae, quis ille eſſet Angelus, κυρίως ita dictus. Idem Moſes de שילה *Schilo*, ex pedibus Iudae venturo, vaticinatus; *Gen. XLIX, 10.* David in Pſalmis mentionem fecit ארני *Domini ſui*, *Pſ. CX. 1.* Ieſaias de חטר מגזע *virga Iſai C. XI. 1.* Ieremias de צמח צרקה *Germine iuſtitiae; C. XXXIII. 13.* Micha de מושל בישראל *dominatore in Iſrael C. V, 1.* Zacharias de מלך צריק ונושע *de Rege iuſto et ſervatore, C. IX, 9.* Malachias, *de* מלך *Angelo venturo ad Templum ſuum C. III. 1.* eſt loquutus. Quibus vaticiniis quis et quid innueretur, Prophetas illos clare et diſtincte intellexiſſe, nulli dubitamus. Sed quod duplici modo Scripturas interpretati ſint, primo *ſenſu literali*, quem ex verbis hauſerint, deinde *myſtico*, quem a Deo acceperint, et per oralem traditionem clanculum ad paucos quosdam doctiores propagarint, hoc illud eſt, quod in quaeſtione hac conſtanter pernegamus. *Deinde*, non abnuimus, quod ea oracula, quae ad promiſſionem gratiae pertinebant, et de Chriſto venturo, eiusque officiis et beneficiis

agebant,

agebant, calluerint. Neque repugnamus, quod legem Moſis intellexerint ſecundum verum Spiritus S. ſenſum, quem verba immediate gignunt. Neque dubitamus, illos notitiam aliquam generalem habuiſſe, legem eſſe typum et umbram venturi Meſſiae; At, quod omnes particulares circumſtantias de ſtatu N. T. atque Meſſia praeſciverint, et de omnibus Levitici cultus partibus ſenſus arcanos et myſticos tenuerint, quemadmodum Apoſtoli illos typos V. T. ad Chriſtum, tanquam antitypum, in N. T. accommodarint, illud eſt, quod ἀποτόμως inficiamur. Proinde, quandam interpretandi rationem in V. T. per tempora Prophetarum, et ultra, floruiſſe, donec Phariſaei legem divinam ψευδερμηνίαις ſuis interpolarint, lubentiſſime Cabbaliſtis largimur; At vero, quod Cabbala quaedam Hermenevtica, et quidem eiusmodi, quae ore tantum propagata, ſola autoritate Patrum, excluſis mediis Hermenevticis, fuſſulta, et quae ſenſum tantum myſticum et allegoricum continuerit, inter Iudaeos ſapientiores uſu olim obtinuerit, hoc iure meritoque a nobis ob ſequentes, ſat, ut opinor, praegnantes rationes, vocatur in dubium. *Primo* enim, probari non poteſt, quod Moſes myſtica quaedam Legis interpretamenta, cum in monte Horeb ſermonem cum Deo ſereret, acceperit, eademque *LXX.* Senioribus ad ſeram usque poſteritatem traducenda commendaverit. *Deinde*, ſymbolicus Scripturae ſenſus, qualem Cabbaliſtae fingunt, et circa quem Cabbala illa Hermenevtica verſata fuerit, purum putum eſt figmentum, ex falſa hypotheſi de duplici Scripturae ſenſu, alio literali, alio myſtico, enatum. *Porro*, ſi temporibus V. T. eiusmodi interpretatio verborum Propheticorum, Typorum, aliorumque vaticiniorum, quae deinceps in N. Foedere in Chriſto impleta, et ad illum applicata fuerunt, innotuerit, tunc Prophetae, Sacerdotes et Levitae, cognitione totius indolis *Oeconomiae Gratiae*, et, quae ad eam pertinet, Caſuum ac eventuum, omniumque ſpecialium circumſtantiarum notitia, inſtructi eſſe debuiſſent. *Adhaec*, ſi Iudaei in V. T. ope Cabbalae Hermenevticae, haec omnia N. T. myſteria perſpecta, explorataque habuerint, quomodo dici poſſet, quod ſub velamento et ſub umbra legis conſederint, quin imo, quod N. T. maiore claritate et luce, quam V. T. effulſerit. Vnde etiam factum, ut Iudaei, Chriſto adventante, tantis colluctati fuerint tenebris? *Vlterius*, cur Iudaei in ritibus retinendis tam duri erant

erant atque tenaces, ut licet Chriſtum iam adventaſſe crederent, ritus tamen ſuos, qui tamen Chriſto praeſente ceſſare debebant, retinendos putarent, circumciſionem videlicet, ſelectum ciborum, abſtinentiam a cruento et ſanguine, et ſic porro, quos omnes ex V. T. derivatos ritus aegre deponebant, uti ex Actis Apoſtolicis unicuique conſtat? Si vero ex Cabbala iam illo tempore didiciſſent, quod cultus Levitici partes ſymbola tantum Meſſiae venturi, illiusque officii eſſent, dubio procul non tam durae cervicis, tamque pertinaces fuiſſent in Ceremoniis iſtis, quas N. T. abolitas volebat, ſervandis. Si *denique*, Cabbala vera adhuc tempore Chriſti et Apoſtolorum extiterit, cur Chriſtus παραδόσεις Phariſaeorum, tanquam falſas et ſpurias reiicit, illisque, legem traditionibus ſuis corrumpentibus, vae plus vice ſimplici imprecatur? Cur etiam Chriſtus ad ſolam Scripturam, nunquam vero ad Cabbalam provocavit, diſcipulosque ſuos ad illam ſcrutandam ablegavit?

§. XXII. Quamvis haec invicta, dici tamen non poteſt, quantopere Autor *Obſ. I. T. I. Hal. Obſ.* allaboret, quo *antiquitatem* et *autoritatem* Cabbalae ſtabiliat, ſimulque evincat, hanc interpretandi rationem iam dudum in V. et N. Inſtrumento fuiſſe uſitatam. Inter alia eodem argumento hypotheſin ſuam defendit, quo iam ante uſus erat *Cunaeus* et *Simonius*, quod nimirum Apoſtoli et Evangeliſtae, fidei Evangelicae capita in libris ſuis probaturi, loca V. T. allegare ſoleant, quae, quoad literam accepta, vix illud, probare poſſe videntur, niſi in conſilium adhibuiſſent myſticam illam S. literarum interpretationem, multis ab hinc ſeculis receptam et conſervatam. Speciatim provocat ad verba, *Hoſ. XI. ex Aegypto vocavi filium meum,* quae Evangeliſta Matthaeus de Chriſto pronunciat, *C. II.* cum tamen ipſum Prophetam evolventibus pateat, ſermonem ibi eſſe de populo Iſraelitico. *Quo iure, igitur,* quaerit, *de Meſſia dicitur, quod de populo Iſraelitico apud Prophetam dictum erat? Optimo iure*, inquit, *haec facit, cum apud Iudaeos uſitatum fuerit, hoc Prophetae dictum ad Meſſiam accommodare, uti hodienum ex Midraſch Tehillim Rabba conſtat etc. Ecce luculentiſſimum Cabbalae Symbolicae exemplum!* Sed, ecce obſcurum plane Cabbalae ſymbolicae exemplum! Quae enim conſequentia, Matthaeus inſtinctu Sp. S. applicavit dictum Hoſeae ad Chriſtum. E. hanc interpretationem ex Cabbala hauſit. Nonne enim Sp. S. integrum erat, haec verba, tametſi quoad

quoad ſenſum literalem de populo Iſraelitico dicantur, per comparationem et analogiam quandam ad Chriſtum accommodare? Num ex Cabbala illi informatio erat petenda, qui eſt Spiritus ſapientiae et ſcientiae, et cuius inſtinctu Scriptores divini unice loquebantur? Parum autem ſententiae eius exinde accedit roboris, quod in *Midraſch Tehillim Rabba* dictum hoc ad Meſſiam venturum applicetur, cum Rabbinis non inſolens ſit, multa promiſcue dicta de Chriſto explicare, quae nullo modo de ipſo agunt, nec explicari poſſunt, et viciſſim illa, quae de Chriſto loquuntur, longe aliter, quam intentio Sp. S. fert, interpretari. Quid? quod, nondum eſt evictum, antiquiores Iudaeos tunc temporis haec verba de Chriſto intellexiſſe, ſiquidem interpretatio illa recentior eſt, quam, ut de veterum Iudaeorum mente certiores nos reddere poſſit.

§. XXIII. Neque reliqua argumenta, quae dictus Autor adinvenit, quicquam ſolidi ad Cabbalae antiquitatem autoritatemque ſuffulciendam conferunt, inter quae hoc adhuc unicum, quo maxime inniti videtur, examini accuratiori ſubmittam. Exiſtimat autem, ſententiae ſuae confirmandae vel hoc ſufficere poſſe, quod ad munus Meſſiae adumbrandum veteres varia adhibuerint ſymbola, imprimis vero, quod cultus Levitici partes hic accommodarint, praeeunte Moſe divinitus haec myſteria edocto. *Quod vel ex Paulo*, inquit, *diſci poteſt, cuius Epiſtola, niſi me omnia fallunt, ex Cabbala iſta Symbolica fluxit.* At vero omnino vir doctiſſimus fallitur, quod pace illius dictum ſit, ſi in eam delabatur opinionem, Paulo non aliunde, quam ex Cabbala Symbolica ea omnia, quae in Epiſtola ad Ebraeos tradit, fuiſſe hauſta. Nam, velim, Viro Celeberrimo memoria non excidiſſe, Scriptores divinos, afflatu divino tactos, omnia, quae nunc conſignata videmus, divinioris ordinis myſteria, in literas retuliſſe; quae divina inſpiratio ſola eſſe poterat ſufficiens, Typos in V. T. contentos, Antitypo N. T. accommodare, et dicta, quae de hoc loquebantur, aptiſſime ſimul applicare. Inprimis, cum nullo argumento idoneo evinci poſſit, quod antiqui Patres, Prophetae, aliique ſanctiores viri, Typos V. T. ſecundum ſpeciales circumſtantias ita intellexerint, ſenſumque de iis conceptum ad poſteros tranſmiſerint. Quid? quod, ſi Cabbala etiam eiusmodi tunc temporis extitit, corrupta ea ac falſa ſcientia fuit, ut iam ſaepius monuimus.

mus. Probatione itaque adhuc vera indiget, quod Apoſtolus ex Cabbalae Symbolicae ſcriniis Epiſtolam illam dederit conſcriptam. Neque hoc cauſae illius momenti aliquid affert ; *Apoſtolum eiusmodi probationibus non fuiſſe uſurum, niſi ſciviſſet haec dogmata, vel ſymbola potius ceu domeſtica, et quae ob maiorum autoritatem Ebraeis reiicere nefas erat, ab Ebraeis admiſſum iri. Cum Ebraei ex eo quaerere potuiſſent, qua ratione probaret, tabernaculum, aut aliam cultus Levitici partem hoc et non aliud ſignificare, niſi per Cabbalam iam tum de re ipſa, tum de modo tradendi ſeu ſymbolis certi fuiſſent.* Nam hae coniecturae ſunt, quae fruſtra et ſine neceſſitate finguntur, nec plus fidei habent, ac, ſi quis diceret, Apoſtolos in proponendis myſteriis divinis ad Zoroaſtris oracula, Pythagorae *τετρακτὺν* et Platonis myſteria numerorum ſeſe accommodaſſe, ut Evangelii doctrinam Gentiles eo citius amplecterentur. Et, ſi hanc ob cauſam divinus Apoſtolus probationes ſuas ex Cabbala deſumpſiſſet, quo doctrina Evangelii eo citius ab Ebraeis admitteretur, quid cauſae fuit, quod illam Iudaei non amplexi fuerint. Conſtat enim, illos nimium quantum Apoſtolo Paulo reſtitiſſe, cum eum doctrinam novam, eamque legi divinae adverſam, apportare arbitrarentur. Tantum itaque abeſt, ut Cabbala haec ex S. literis demonſtrari et ſuffulciri poſſit, ut potius, tanquam *ψευδερμηνεία* et corrupta ſcientia, in ſacris literis paſſim reiiciatur et conculcetur.

CAPVT III.

DE

CABBALA DOGMATICA.

§. I.

ORdo nunc poſtulat, ut, poſtquam inſigniorem aliquam doctrinae Cabbaliſticae partem diſcuſſimus, pede inoffenſo ad illud Cabbalae caput, quod adhuc maioris momenti eſſe videtur, et Cabbala Dogmatica inſcribitur, atque ex interio-

interioribus Theologiae Iudaicae penetralibus depromptum eſt, nos conferamus, ſimul ea, quae de hac Cabbalae parte Scriptores Cabbaliſtici in libellis ſuis hinc inde tradunt et profitentur, pari dexteritate et candore, quem antea adhibuimus, proponamus. Per Cabbalam vero hic non intelligio *Doctrinam Ritualem*, qualem Talmud quoad potiſſimam partem complectitur; ſed *Theologiam*, ſive *Philoſophiam Dogmaticam*, ore traditam, quae de nobiliſſimis ſcientiae obiectis agit, et a Iudaeis in *Bereſchith* et *Mercavah*, h. e. naturalem et ſupernaturalem ſcientiam, ſive Metaphyſicam, quarum altera in Geneſi Moſaica, altera in Ezechielis viſionibus, fundari perhibetur, eſt diſtincta. Alioqui diſpeſci poteſt in *Antiquam*, quae obtinuit ante tempora Chriſti, et a Iudaeis exculta fuit, eaque eſt nihil aliud, quam Theologia Scripturaria de Deo et coeleſtibus rebus, ſymbolice et αἰνιγματωδῶς propoſita, et ex Philoſophia Pythagorica ac Platonica ſubſequentibus temporibus illuſtrata. Quod omnino ita ſe ſe habere, iamdudum docti obſervarunt; et clariſſime id praeterea liquet ex Libro R. Cohen Irirae, Luſitani, שער השמים *Porta coelorum*, inſcripto, quo dogmata Cabbaliſtica, more Philoſophis recepto, proponuntur, et cum Philoſophia Platonica conferuntur. Quare recte et ſapienter iam ſuo tempore iudicavit, literarum in Germania inſtaurator, Reuchlinus, aſſerens: *Pythagorae Philoſophiam de Cabbalaeorum praeceptis initia duxiſſe, eamque patrum memoria diſcedentem e magna Graecia rurſus in Cabbaliſtarum volumina incubuiſſe. Lib. I. de arte Cabbal.* Per *Recentiorem* vero intelligo eam, quae a Chriſtianis recipitur, et ſecundum Chriſtianam fidem explicatur. Vtramque, quantivis etiam pretii aliis videatur, non niſi falſae et ψευδωνύμȣ γνώσεως nomen meretur.

§. II. Cabbalam autem eiusmodi Dogmaticam diu ante tempora Chriſti extitiſſe, et ad noſtram usque aetatem inter Iudaeos et Chriſtianos magno in pretio haberi, in confeſſo eſt. Sed, *utrum Cabbala Dogmatica, quae veri nominis Cabbala fuerit, in gente olim Iudaica extiterit*, illud eſt, quod maxime in controverſiam venit. A partibus affirmantium ſtant *Henr. Morus, Rittangelius, Knorrius, Ziroldus, Autor Introd. ad Hiſt. Philoſ. Ebr.* qui unanimi conſenſu fatentur, veram extitiſſe in populo Iudaico Cabbalam, illiusque veſtigia quamplurima in ſcriptis Cabbaliſticis, quae hodie manibus teruntur, depre-

prehendi. Quin imo eo deveniunt, ut omnia ferme Cabbalae modernae dogmata, imprimis, quae in libro Sohar leguntur, pro veris Cabbalae antiquae doctrinis venditare et agnoſcere non vereantur. *Burnetus*, Vir alioqui eruditiſſimus, arbitratur, antiquam Cabbalam praecipue circa id verſatam eſſe, quomodo res omnes *ex primo Ente profluxerint per emanationem, et per refluxum quaſi in Deum retrahi poſſint. Campeius Vitringa*, uti Vir ſummi iudicii, eruditionisque ſingularis, ita ſpecioſe admodum in Cabbala vera exhibenda, et ex S. literis probanda, praeclaras ingenii ſui vires exercuit, tam plauſibili profecto conatu, ut, niſi ingenio magis acuto, quam veritati quamplurima eius argumenta inniti, conſtaret, facile aliquem, ſi quisquam alius, in partes ſuas protrahere poſſet. Exiſtimat enim, veterem Cabbalam duo prae ceteris eximia dogmata continuiſſe, alterum de *veneranda in Deo Trinitate*, alterum *de Perſona atque officiis Meſſiae*; Decem autem Sephiroth nihil aliud eſſe, quam compendium gratiae divinae, perfectiones et virtutes, quae in Perſona et Regno Meſſiae potiſſimum demonſtrentur, complectens. Quae ut interdum pingi ſolent figura humana, ita illas hic ſpeciem auguſti cuiusdam Regis exhibere putat, cuius figuram expreſſam vide in *Obſervationibus S. L. I. Diſſ. II. C. I. p. 121.* Itaque ſecundum figuram corporis humani Sephiroth iſtas hunc in modum diſponit. Primam Sephiroth כתר ſive *coronam*, capiti imponit. חכמה et בינה *ſapientiam* et *intelligentiam* ab utraque parte capitis collocat. Excipiunt has גבורה et גדולה *Magnificentia* et *Potentia*, quas utrique brachio Meſſiae refert. Sequitur *τὸ* תפארת *pulchritudo*, Zonam ornans, vel balteum, qui togam eius talarem cingit. Poſt תפארת binae rurſum occurrunt virtutes, quarum Sephiram *ſeptimam* נצח *victoriam*, femori dextro, octavam vero הוד *maieſtatem*, ſiniſtro aſſignat. Nonam Sephiram יסוד *fundamentum*, partem corporis, vel generationi, vel ſeſſioni deſtinatam, reſpicere hariolatur. Pedibus denique ſubſternit מלכות *regnum*, quod reliquarum habitaculum quaſi et domicilium ſit, uti ipſi Cabbaliſtae loquuntur. Quod decem Sephirarum corpus, corpori humano applicatum, Chriſto Ieſu *κυρίως* in Scriptis V. et N Foederis vindicari multis comprobat dictis: ut adeo *Traditio* illa *Oralis*, etiamſi clarior fuerit Scriptura, ex ea tamen deprompta ſit, adeoque ab ea dependerit, ut expreſſis verbis illud ediſſerit *l. c. p. 123.*

§. III.

§. III. Si vero noſtrum de hac controverſia interponere liceat iudicium, ſalva autoritate tot eruditiſſimorum virorum, hanc quaeſtionem quidem negamus, his tamen conditionibus praemiſſis, quae ad litem dirimendam maxime faciunt. *Primo*, non negamus, Iudaeos exactam rerum Philoſophicarum habuiſſe peritiam, praeſertim earum, quae circa *φύσιν*, ſive *naturam*, verſabantur, et vel oretenus, vel ſcriptis, ad poſteros transferebantur. *Deinde*, nec illud impugnamus, quod apud Sacerdotes, Levitas, imo totum populum Iudaicum, compendioſa quaedam doctrina extiterit de rebus Theologicis, quae fuerit ex Scriptura, tanquam principio, hauſta. Verum de illo diſceptatur, an extiterit quaedam Cabbala dogmatica, et quidem talis, quae (α) diſtincta fuerit a Scriptura Sacra, ita, ut, ab illa non dependerit, aut illa fuerit ſuperior, (β) quae Moſi, perinde, ut lex, a Deo fuerit exhibita, et (γ) non niſi cum ſapientioribus *ςόμα πρὸς ςόμα* communicata, (δ) quaeque res ſpirituales et divinas complexa ſit, non excluſis quoad maximam partem illis, quae adhuc hodie in libris Cabbaliſtarum comparent, et (ε) obſcuro plane et aenigmatico dicendi genere ſit propoſita. Quod eiusmodi Cabbala apud veros Iſraelitas uſu quondam obtinuerit, de hoc vel maxime dubitamus. (1) Quia eiusmodi doctrina, quae praeter verbum divinum aſſeritur, reiicienda eſt, ſecundum *Eſ. VIII. 20. et Gal. I. 1.* (2) quia figmentum eſt, quod praeter legem alia doctrina Moſi fuerit revelata. (3) Incerti inſuper ſunt autores, de quanam re egerit Cabbala illa, utrum de rebus naturalibus, an ſpiritualibus; utrum de Deo, an vero de Chriſto? (4) denique Cabbala, quae ab illis pro vera et antiquisſima habetur, falſa eſt ſcientia, et cum traditione ſcripta, ſeu verbo divino pugnat.

§. IV. Speciatim vero, quod ſententiam eorum concernit, qui antiquam et veram Cabbalam ex hodierna reſtituere annituntur, nil minus hoc ipſo nobis, quam veram Cabbalam, oſtendunt, quin potius falſam pro genuina arripiunt, mirificeque in ſua opinione decipiuntur. In ea enim reperies *ζητήσεις, λογομαχίας, παραδιατριβὰς διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν, καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας, βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*, *1. Tim. VI. 4, 5, 20.* Quemadmodum etiam *Burneti* hypotheſis fanatica plane eſt, et, ſi unquam vera Cabbala extitit, nemo tamen eo adduce-

ducetur, ut credat, *emanationem rerum ex primo ente, earumque in Deum refluxum*, dogma palmarium et fundamentum eius fuiſſe, ad quod omnia reliqua, tanquam ad centrum ſuum, collineaverint. Denique, ad *Camp. Vitringae* mentem quod attinet, qui antiquam Patrum et Prophetarum Cabbalam de Chriſto eiusque regno egiſſe contendit, illud perinde dubium eſt, et vel maxime controverſum. Primo enim, eo modo et ordine Meſſias in Scripturis non deſcribitur. Et tametſi quaedam nomina, quae in Tabula Sephirothica leguntur, in Scripturis Chriſto aſſignantur, tamen quaedam ſic comparata ſunt, ut nullo plane modo Chriſto competant, vel ad minimum coacte ipſi attribuantur. Praeterea, Scriptura non tantum haec attributa, ſi ita appellare liceat, de Chriſto commemorat, ſed longe plura, quam quae in decem Sephiroth continentur, de illo affirmat, quae eiusdem dignitatis cum illis ſunt. Porro, aeque Patri haec nomina, ac Filio poſſunt vindicari. Tandem, nullibi in Scriptura haec attributa peculiari parti et membro corporis attribuuntur. Cur enim *Magnificentia* tantum brachiis, et non toti corpori apponitur? Cur *pulchritudo* ad Zonam, et non ad faciem refertur? Cur *victoria* et *maieſtas* femoribus aſſignantur, quae tamen eiusmodi ſunt perfectiones, ut uni tantum parti corporis Chriſti commode non poſſint aſſignari.

§. V. Specioſe quidem dictus Autor hanc ſuam ſententiam ex locis Scripturae S. inprimis ex Apocalypſi Iohannea, qua Filius hominis veſte talari indutus introducitur, confirmare ſuſtinet, neque ſine ſingulari mentis acumine loca ſeligit, quae prima fronte non levem veritatis ſpeciem ſiſtere videntur; attamen, nec illud negari poteſt, quod multa ſupponat, et ad hypotheſin ſuam detorqueat, quae maiorem adhuc probationem omnino deſiderant. Quo maxime referas illud, quod pro certo habeat, Spiritum S. in viſionibus Propheticis Iohanni exhibitis τῶν Sephiroth Cabbaliſticarum habuiſſe rationem, minime id facturus, niſi doctrina illa Sephirothica ex Catecheſi Patrum, ut loquitur, originem duxerit; id quod tamen maxime in controverſiam venit, et Helena quaſi eſt, de qua adeo diſceptatur. Demonſtretur itaque prius, quod Iohannes reſpectum habuerit ad Sephiroth, et quidem ideo, quod doctrina illa ex Catecheſi Patrum fuerit deprompta. Quaecunque tandem pro coloranda

da hac hypotheſi afferuntur, etſi a matre eruditione, et obſtetrice ſumma mentis ἀκρίβεια profecta fuiſſe lubentiſſime fateor, valde tamen dubito, an veterem, ſi qua fuit, genuinam Ebraeorum Cabbalam ſiſtant atque evincant.

§. VI. Cum itaque nihil certi de genuina Ebraeorum Cabbala definiri poſſit, nec, ſi qua unquam extitit, rudera quaedam hodienum ſuperſint, ex quibus, tanquam veris indiciis, de natura et argumento illius certiores reddamur; idcirco eam in praeſens examinare lubet, quam Cabbaliſtae antiquiores et recentiores, collectis undique, quae adhuc ſupereſſe putant, ruderibus, adornant, novaque veluti facie ornatam exhibent. Cuius naturam atque indolem ſi requiris, breviter ea ſic delineari poteſt, quod ſit *ſcientia, ſeu Philoſophia Symbolica de Deo et rebus ſpiritualibus in ſenſum non incurrentibus, ſymbolicis et aenigmaticis loquutionibus absque neceſſitate involuta, monſtrans homini viam, qua propriis ſuis viribus ad perfectionis ſtatum et unionem cum Deo pervenire queat.*

§. VII. Principium huius Cabbalae non eſt verbum ſcriptum, ſed *Traditio* quaedam *oralis*, per quam ſublimiora haec dogmata ſe accepiſſe ferunt. Si vero hodiernorum Iudaeorum ſcripta Cabbaliſtica perluſtro, ea omnia ex libro *Sohar*, tanquam palmario et praecipuo Cabbalae fonte, hauſta et deducta deprehendo. De quo libro, ut breviter haec notem, autorem agnoſcit *R. Schimeon Iochaiden*, qui ante et poſt excidium Hieroſolymitanum, prout eruditi e variis huius libri locis colligunt, vixiſſe putatur, ideoque in ſpelunca ſubterranea, ut Iudaei opinantur, conſcriptus, quo doctrina Cabbaliſtica, traditione tantum orali prius propagata, cum pluribus hac ratione communicari poſſet. Verſatur autem ille circa doctrinam de Deo, nominibus, eiusque eſſentia et attributis, item circa Meſſiam, Angelos bonos et malos, nec non circa animam hominis, eiusque originem et ſtatus, annexis practicis quibusdam et ritualibus, quorum dogmatum alia pars methodo acroamatica, ſive accuratiori et aenigmatica; alia exoterica, ſive vulgari eſt conſcripta, ut illud erudite demonſtravit Autor *Cabbalae Denudatae T. II. P. I. in Praef.*

Praefatione. Antiquitatem eius nonnulli in dubium vocant, et pro recentioris cuiusdam Iudaei, longe poſt excidium Hieroſolymitanum viventis, ſcripto venditare volunt, a qua tamen novitatis ſuſpicione eundem ex inſtituto vindicare laboravit Illuſtris Cabbaliſmi ſcrutator, Chriſt. Knorr a Roſenroth, citato antea loco, quem *librum Sohar reſtitutum* vocat, ubi prolixe de aetate huius libri agit, et dubiis quibuscunque ſatisfacere allaborat. Hunc itaque librum tanquam corpus doctrinae, et regulam ſuarum hypotheſium quam maxime venerantur Cabbaliſtae, ad hunc, ſi dogmata quaedam Cabbaliſtica confirmanda ſint, provocant et confugiunt.

§. IIX. *Obiectum* Cabbalae Dogmaticae, quod h. l. expendere animus eſt, conſtituunt res excellentioris naturae in ſenſum non incurrentes, ut ſunt *Deus, Angeli, mentesque hominum*, quibus omnes Cabbaliſtarum libri perſonant. *Autor Introd. ad Hiſtor. Philoſ. Ebraeorum* duo praecipua Cabbalae capita ponit, alterum de *decem Sephiroth*, alterum de *quatuor mundis Cabbaliſticis*, quorum prius ad Theologiam myſticam, alterum ad Philoſophiam Theoſophicam, tanquam partem primariam, refert, loco citato, *p. 278.* Quamvis, ſi omnia accurate expendantur, et ad rationis trutinam examinentur, ex inductione tot locorum veritati magis reſpondere videatur; Cabbalae huius praecipuum Obiectum eſſe doctrinam, quomodo res omnes ex primo ente per emanationem proceſſerint, et per refluxum, ſive reverſionem in Deum retrahi poſſint. Hinc tam crebro Cabbaliſtae loquuntur de *vacuis, vaſis et vaſculis, receptioni horum effluxuum deſtinatis*, de *radiis effluentibus et de canalibus, quibus decurrunt, et propagantur.* Quae φορτικὰ ἀκύσματα ſatis produnt, quid de Concluſionibus ex fonte tam impuro propullulantibus, ſit ſentiendum.

§. IX. *Subiectum* denique homo eſt, *quatenus ad perfectionis ſtatum et unionem cum Deo eſt perducendus*, ad quem felicitatis ſtatum obtinendum haec ψευδώνυμος γνῶσις media praeſcribit, quibus homo ad priſtinum ſuum ſtatum redire, et ſummam in hac vita perfectionem adipiſci queat. Eaque ſunt *ſtudium legis et. B. O. ars meditandi, revolutio animarum* etc. per quae anima hominis ad radicem ſuam et abſolutum perfectionis ſtatum tranſire putatur. Sana quidem Theologia nihil novit de his mediis, quibus homo ſe ipſum reſtaurare poteſt, ſed homini peccatori oſtendit Chriſtum, qui eum reſtau-

reſtaurat et ad vitam aeternam perfectumque ſtatum traducit. Verum enim vero, cum Cabbala falſi nominis ſit ſcientia, non mirum eſt, ſi ſpuria et falſa media oſtendit, per quae homo in ſtatum infelicisſimum coniicitur, et felicitate aeterna, niſi mature ad ſaniorem mentem redeat, facile excidit.

§. X. Quibus ſic ſe habentibus, in aprico poſitum eſt, quis tandem *Finis* huius doctrinae ſit, nempe *perductio ad perfectionis ſtatum*, ſive *elevatio ad radicem*, ex qua homo per peccatum ſit prolapſus. Ad hunc enim finem omnia ferme tendunt, quae in univerſa Cabbala docentur, quod quilibet vel leviter arte hac Cabbaliſtica tinctus intelliget. Noſtrum itaque erit, et hanc *Cabbalam* accuratius introſpicere, eamque, quam foeda ſit doctrina, denudare. Cum vero Cabbaliſtae dogmata ſua confuſe admodum et obſcure in libris ſuis myſticis propoſuerint, nec ordinem quendam in diſponendis iis obſervarint, lubet ea omnia mittere in compendium, et tribus partibus, quicquid de iis obſervatu dignum videbitur, complecti, quorum prima *Theologiae*, ſecunda *Anthropologiae*, et tertia *Soterologiae* nomen ſibi vindicabit.

PARS PRIMA.
DE
THEOLOGIA.
SPECIATIM,
DE
DEO.

§. I.

ORdiar a *Nominibus Dei*, cum quibus Cabbaliſtae vario, eoque fanatico prorſus modo, ludunt, quaeve inſulſis ſuis explicationibus magis corrumpunt, quam illuſtrant. Decem autem

 tem

tem eiusmodi Nomina connumerant, quae omnia ad *X. Sephiroth* referre, illisque illuſtrandis adaptare ſolent, hunc quidem in modum:

	1. כתר אהית	
3. בינה יְהֹוָה		2. חכמה יה
5. גבורה אלהים		4. גדולה אל
	6. תפארת יהות	
8. הוד אלהים צבאות		7. נצח יהוה צבאות
	9. יסוד אל חי	
	10. מלכות ארוני	

§. II. Prolixum nimis ſuſciperem opus, ſi omnia, quae Cabbaliſtae de his nominibus tradunt, recenſere, omnesque ſpeculationes illorum e latebris eruere inſtituerem, cum tanta illarum ſit copia, ut vix ſpiſſum aliquod volumen iis conſignandis ſufficeret. Aſt ne ſicco plane pede haec praeteriiſſe videar, unicum ſaltem momentum de nomine יהוה adducam, quod vario modo per alphabeticam combinationem et numerationem vocum a Cabbaliſtis explicatur, ex quo fit, ut mox *Nomen duodecim literarum*, mox *quadraginta duorum characterum*, nonnunquam etiam *ſeptuaginta duarum litera-*

terarum Symbolicum ab illis nanciſcatur, ad innuendas diverſas Numinis divini operationes, quas ſub his nominibus ſymbolicis innui arbitrantur; quanquam nec deſunt, qui alia ſub illis myſteria latere contendunt. Reuchlini ſententia eſt, ex Tetagrammato *nomen duodecim literarum* fluere, et idem eſſe, ac אב בן ורוח הקדוש id eſt, *Pater, Filius et Spiritus S.* Ex hoc fundamento deinde derivat *Nomen quadraginta duarum literarum*, ita pronunciandum: אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אל אלהים שלשה באחד אחר בשלשה id eſt, *Pater Deus, filius Deus, Spiritus S. Deus, tres in uno, et unus in tribus.* Vbi admiratione quadam, aut ſacro horrore tactus ita exclamat: *O quanta eſt haec altitudo, quanta profunditas, quae ſola fide apprehenditur! L. III. de Cab. p. 878.* Denique, de *nomine ſeptuaginta literarum Symbolico*, quomodo per arithmeticam proportionem enaſcatur, prolixe diſſerit, quae tamen omnia hic conſtipare, atque adeo actum agere, merito ſubveremur, ne lectorem his talibus nugis iuſto diutius detineamus. Conferri poteſt ipſe Reuchlinus *L. III. p. 836. ſeqq.* qui prolixe haec talia excuſſit. Ceterum, quae et de aliis Dei nominibus Cabbaliſtae adornarunt gloſſemata, copioſe et ad nauſeam usque conſcripſit Autor *Cabb. Denud. P. I. T. I.* ubi ſingulis Dei nominibus ſingulas Cabbaliſtarum annotationes ſubiunxit, ideoque prae aliis eſt conſulendus.

§. III. Quod ád *Dei eſſentiam* attinet, ita illam deſcribunt, quod ſit lux expanſa, et diffuſa, quae, cum mundi conderentur, compreſſa et coarctata fuerit, vacuumque quoddam tali compresſione et contractione reliquerit, quo mundi emanare ſedemque occupare potuerint, deſcribente ita R. Iizchac Loria *in Tract. I. Lib. Druſchim C. II. p. 32.* Quae deſcriptio nullo modo Deo competit, eique aſſignari poteſt. Deus enim eſt Spiritus, *Ioh. IV, 24.* non vero lux expanſa et diffuſa, quod materiae potius, quam ſpiritui proprium. Deinde, eſſentia Dei plane immutabilis eſt, et omnem *παραλλαγὴν ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα* reſpuit, *Iac. I, 17.* et proinde neque comprimi, neque coarctari poteſt. Denique, Deus etiam eſt immenſus, nullis limitibus circumſcriptus, nec ullos terminos agnoſcit, ſecundum effatum Hieropſaltae *Pſ. CXXXIX, 7.* Ergo nullum datur vacuum, in quo Deus non ſit, tum ſecundum eſſentiam, tum ſecundum operationem.

§. IV. Quae vero de *Attributis et Perſonis divinis* fabulantur Cabbaliſtae, tum antiquiores, tum recentiores, ea omnium optime ex doctrina Sephirothica, ſcientiam de Deo in compendio exhibente, cognoſci poſſunt. Operae proinde pretium facturos nos exiſtimamus, ſi ex inſtituto accuratiorique diligentia Sephiroth illas hoc loco inquiramus, et, quae ab utroque Cabbaliſtarum genere de illis in medium afferuntur, excutiamus, quo in ſynopſi unicuique conſtet, utrum iſtae Sephiroth idem, quod ſuſtinere dicuntur, revera ſuſtineant. Conſtituuntur autem ex unanimi illorum conſenſu numero X. eiusmodi Sephiroth, ſive denominationes divinarum perfectionum, quas vario ſubinde modo in Tabulis ſuis diſponunt, quandoque per columnarum, quandoque per circulorum modum: nonnunquam ſub forma et lineamentis humani corporis: interdum etiam aliter. Quas diverſas τῶν Sephiroth ſpecies accurate depinxit et explicatione quadam illuſtravit, Vir in his literis, ſi quisquam alius, verſatiſſimus, Chriſt. Knorrius a Roſenroth *in Cabb. Denud. T. I. P. III.* item Henr. Morus *in trium Tabularum Cabbaliſticarum deſcriptione T. I. Opp. Philoſophicorum p. 423. ſeqq.* nec non Autor *Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr.* qui easdem ex illo repetit *p. 278. ſeqq.* ad quos autores lectorem ſubtilitatum harum ſtudioſum remittimus. Cum enim ſummam nobis brevitatem propoſuerimus, non eſt, quod aut actum agamus, (iam enim ſupra *§. I.* earum ſchema delineatum dedimus,) aut his talibus, quae ubivis locorum obvia ſunt, iuſto diutius immoremur.

§. V. Sub illis autem vocabulis, tanquam ſub certis involucris, omnes quorumcunque myſteriorum theſauros recluſos latitare, Cabbaliſtae volunt, quanquam, quae notio, quis ſenſus illis inſit, ipſismet Cabbaliſtis parum quoque conſtat. Si enim veterum Cabbaliſtarum, et quidem Iudaeorum ſcripta evolvimus, nonnulli dictionem ספירות a voce ספיר *Sapphiro* derivantes, per *Emanationes flammantes,* et ſcintillantes, ſplendoremque Saphiri imitantes interpretantur, quamvis ex illis parum, vel nihil omnino lucis reſplendeat. Idcirco eitam ad mundum *Azilutbicum*, ſive *Emanativum*, tanquam partes eius, referuntur, atque hunc in modum deſcribuntur, *quod ſint notiones et radii infiniti, qui per gradus varios a ſummo lumine, tanquam fonte, ita deſcendunt, ut tamen ab eo non ſeparentur.* Alii *a* ספר *numerare*,

recen-

recenſere, vocabulum hoc deducunt, quoniam ספירות nihil aliud ſunt, quam *numeralia quaedam repoſitoria maximorum myſteriorum antiquae Cabbalae, decadem non excedentia*, ut ex prolixa R. Abraham Cohen Irirae, Luſitani, deſcriptione ſatis abunde apparet, in *Porta Coelorum Diſſ. VII. C. IV.* Nec deſunt, qui per *Attributa* vocem ספירות exprimunt, et per illa perfectiones Dei eiusque operationes intelligunt, quod ex eſſentia divina emanarint.

§. VI. Sed forte hae ſunt Cabbalae corruptae ac depravatae opiniones, quae, conſentientibus etiam quibusdam Cabbaliſtis, iure meritoque falſitatis ſunt arguendae. Accedam itaque ad modernos Cabbaliſtas, qui ſpuriam Cabbalam a vera diſcernere norunt, inquiſiturus, utrum hi rectiora nos edoceant. At enim vero et hos dogmata eiusmodi, quae veritati minus congrua ſunt, excludere, ex his, quae nunc additurus ſum, dilucidius cognoſcetur. Solent enim fere omnes cogitare de SS. Trinitate, licet ſuam illam ſententiam diverſimode explicent. Eruditus *Cabb. Denud. Autor* Sanctam Triadem in Decade Sephirothica ita demonſtrat, ut ſecunda Sephira חכמה ſit perſona prima, quae Chriſtianis dicitur *Pater*, תפארת Sephira ſexta, cui Cabbaliſtae tribuunt יהוה, ſit *Filius Dei*, ultima autem מלכות *Regnum*, quae et שכינה nominatur, deſignet *Spiritum S.* At *Henr. Morus*, et alii Doctores Cabbaliſtici, qui ante et poſt ipſum vixerunt plurimi, *Io. Picus, Reuchlinus, Rittangelius, Chriſt. Knorr a Roſenroth, Ziroldus* putant, decem illas Sephiroth in duas dividi debere partes: tres et ſeptem. Tres priores Sephiroth, *Coronam, Sapientiam* et *Prudentiam*, quae in ſuprema huius tabulae parte priores partes ferunt, tres divinitatis perſonas, Patrem, Filium et Spiritum S. ſignificare; reliqua vero vocabula, ut ſunt *magnitudo, potentia, pulchritudo, victoria, gloria, duratio*, quae in מלכות deſinunt, myſteriorum regni Dei eſſe repoſitoria, ſeu claſſes, inprimis vero *attributorum Dei Triunius* ſymbola, quae in regno Naturae, Angelico et Gratiae, h. e. in creatione omnium viſibilium et inviſibilium, et Providentia divina quam maxime conſpicua ſint. Neque Autor *Introd. ad Hiſt. Phil. Ebraeorum* ab his diſſentit, ſed magno ſtudio eandem ſententiam tuetur, et calculo ſuo approbat *p. 277. §. 40.* ac ſi haec res extra omnem dubitationis aleam ſit poſita, et ita ad liquidum perducta, ut a nemine in dubium facile poſſit vocari.

 §. VII.

Digitized by Google

§. VII. Verum enim vero haec mera eſſe figmenta, quae omni fundamento carent, in propatulo erit illi, qui ſub rationis examen ea omnia accuratius revocabit. Et quidem, quod attinet ad *Knorrii hypotheſin de Trinitate*, quam ex X. Sephiroth exſculpit, haec ita eſt comparata, ut ſola retineat nomina, myſterium vero hoc re ipſa eludat, et, neſcio, in quae idola et figmenta abominanda convertat. *Aliorum* vero *ſententia* aeque infirmo nititur fundamento, et nihil amplius, quam foetus Cabbaliſticus eſt, ex ingenio aegro confictus ac productus. Quis enim credat, qui vocabula haec conſpicit, et accurate perpendit, haec nomina כתר חכמה et בינה magis deſignare perſonas, quam reliqua attributa, *Pulchritudinem*, *gloriam*, *maieſtatem*, et quae illis ſimilia. Quis etiam Cabbaliſtarum ſententiam, quam tamen peroratam eſſe putant, rationibus idoneis confirmavit? Ex *Iudaeorum Cabbala* id non oſtenditur, neque oſtendi poteſt, quia illa unum tantum Numen infinitum tradit, quod *En-ſoph* vocatur, et cauſa eſt omnium entium, a quo etiam omnes Sephiroth eſſe ſuum habent. Per Sephiroth etiam intelliguntur tantum res ab immenſa luce in tempore emanantes, quae ut cauſata a ſua cauſa dependent. Perſonae vero Deitatis ſunt ab aeterno, neque cauſata dici poſſunt, neque originem, vel principium quoddam agnoſcunt. Et tametſi etiam Iudaei Cabbaliſtae perſonarum mentionem faciunt, primo, illorum perſonae cum ternario non conveniunt; deinde, per eas non veras perſonas intelligunt, ſed parabolice attributa, ſive operationes divinas per haec nomina repraeſentant; denique, mares et uxores enumerant et coniungunt, quae abſurde quis ad Trinitatem referret. Ex quibus omnibus apparet, quam ineptis et ficulneis argumentis inſtructi ſint, qui exinde perſonas divinas Iudaeo perſvadere, et haec talia monſtroſa dogmata ad religionem Chriſtianam applicare velint.

§. IIX. Sed, forte ex *Pythagorae et Platonis ſchola* ſententiam ſuam confirment, quippe qui myſteria ſua de Deo, Filio Dei, et Spiritu S. per Moſen et ſcripta eius accepiſſe putantur. Sed poſito etiam hoc, nondum tamen conceſſo, unde tamen evincent, quod hi Philoſophi doctrinam hanc ita intellexerint, quemadmodum a Chriſtianis ſecundum Script. S. ſenſum intelligitur? Apud Platonem quidem tria vocabula ἓν, λόγος, et ψυχὴ leguntur, quibus tamen non

tres

tres Deitatis perſonae, ſed, neſcio, quae operandi virtutes, ſive gradus inſinuantur. Vid. B. Thomaſius in eruditisſima *Diſſert. de Trinitate Platonica*. Si denique refugiant ad *Scripturam*, in ea forſitan ſententiae ſuae patrocinium aliquod quaeſituri, neque hic, quod cauſae eorum patrocinetur, quicquam invenient. Etenim Scriptura in exprimendo Trinitatis myſterio ſemper vocabulum Patris, Filii et Spiritus S. adhibet; neutrum vero horum, aut cum *Corona*, aut cum *Sapientia*, aut cum *Prudentia*, quod volunt Cabbaliſtae, convenire, non eſt, quod multis demonſtretur. Vocat quidem aliquando Scriptura ſecundam Deitatis perſonam *ſapientiam Prov. VIII. 4.* item tertiam, *Spiritum ſapientiae et intelligentiae. Eſ. XI, 2.* At enim vero, cum haec nomina divina *officialia* tantum ſint, non vero *perſonalia*, nihil exinde roboris ſententiae Cabbaliſtarum enaſcitur. Dic itaque, Cabbaliſta, unde Trinitatem tuam evincere poſſis? Si dicendum, quod res eſt, ex tuo ingenio haec talia fidei dogmata confingis, cum exiſtimes, perinde eſſe, ſive ex Cabbala, ſive ex tui ipſius cerebro, interpretationem aliquam petas, modo Chriſtianae religioni ea ipſa ſit conformis, quorſum Autor *Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr.* inclinat. At vero, nobis non perinde eſt, an res aliqua, quaecunque demum ſit, in religionem Chriſtianam quadret. Sic enim Alcoranum, et, neſcio, quae gentilium ſcripta, figmentis et mendaciis pleniſſima, ad fidem Chriſtianam pari ratione conformare liceret. Vid. Venerandus Dn. Bücherus *Menſ. IV. Pietiſtico.*

§. IX. Diſcuſſa hac doctrinae Sephirothicae parte, nunc ad alteram quoque tranſeam, eodem modo ſententias Cabbaliſtarum, quas ſibi de reliquis ſeptem Sephiroth imaginantur, examinaturus. At, vide primum, quomodo vocem מלכות ſive *regnum*, quod ceterarum Sephirarum centrum et ſcopum vocant, quodque ideo primo loco collocandum putavi, Cabbaliſtae interpretentur. Per illud enim deſignant *regnum* aliquod Dei *internum*, in ſpiritibus Angelorum et hominum conſpicuum, (quod vero, et quale illud ſit, ipſi neſciunt) deinde etiam *regnum externum*, quod triplex faciunt, nempe *regnum Naturae*, *regnum Angelicum* et *regnum Eccleſiae*. Ita Henr. Morus de hoc regno Cabbaliſtico commentatur in *Epiſt. ad Knorrium ſcripta*, quam vide ſis in *Cabb. Denud. T. I. P. II. p. 56.* Suffragatur Autor *Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr. p. 296.* Conf. etiam *Obſ. I. de Orig. Phil. Myſt. T. I.*

Obſ.

Obſ. Hal. p. 12. Addatur Ziroldus, qui crambem hanc non ſine nauſea, recoctam, nobis quoque apponit in *Introd. ad Hiſt. Eccl. p. 262.* In Scriptura S. de his regnis altum eſt ſilentium, nec quicquam de illis iuxta mentem Cabbaliſtarum commemoratur. Proinde hanc ſententiam, ut fanaticam, plane reiicimus et reprobamus.

§. X. De reliquis vero Sephiroth ſentit Henr. Morus, illas eſſe *myſteriorum Regni Dei repoſitoria*, itemque nomina rerum omnium univerſaliſſima, quibus regnorum antea commemoratorum myſteria particularia inquiri poſſint. Nimirum de extenſione regnorum exiſtimat, quaeri poſſe ſub *Gedula*, de viribus ſub *Geburah*, de Legibus, Politia et ordinibus ſub *Tiphereth*, de pugnis ac victoriis ſub *Nezach*, de ſplendore ac gloria ſub *Hod*, de ſtabilitate, permanentia ac duratione ſub *Ieſod*. Atque ſic nihil aliud eſſe, quam *Praedicamenta Cabbaliſtica*, quibus potiora arcana Moſaica, tanquam capſulis, incluſa ſint, indeque commode depromi queant. At enim vero, capſulas potius monſtroſarum opinionum, ſeu ῥαψωδίας λεπτολογημάτων, quam myſteriorum divinorum repoſitoria dicas. Diſperſam potius ſubtilitatum farraginem, quae revera nihil aut ad doctrinam, aut ad diſciplinam utilitatis afferat, quam ſcientiam miſteriorum divinorum, quae regno Dei illuſtrando commodiſſime inſerviant. Quae ne conficta eſſe putes, adeas, ſi placet, ipſum Henr. Morum in *Epiſt. ad Compilatorem ſcripta*, ubi immenſum ſubtilitatum et quaeſtionum manſtroſarum pelagus invenies, quarum etiam quoad partem *Cap. I. §. XIIX.* mentionem fecimus. Alii Cabbaliſtae recentiores per eas intelligunt *inſigniora Dei, perfectiſſimi Entis, attributa*, quae demonſtrantur in productione et regimine mundi atque Eccleſiae. At haec eiusdem, ut reliqua, ſunt notae et figmenta Cabbaliſtica. Nam primo, attributa Dei non ſunt emanationes, quae ex eſſentia divina in tempore primum emanarunt, ſed a parte rei cum eſſentia Dei conveniunt, et aeterna ſunt. Deinde, attributa illa, ſive entia emanativa, aut creata ſunt, aut increata: increata non ſunt, quia aliquando in tempore emanarunt, ut fatentur Cabbaliſtae, neque creata ſunt, quod iterum concedunt; E. nihil ſunt, quam Chimaerae ex Vtopia Cabbaliſtca deductae, et in cerebro illorum confictae.

§. XI. Haec itaque ſunt, quae de iſtis Sephiroth monere volui. Nunc quoque in cenſuram vocanda eſſent varia illa et multiplicia

cia cuiusvis Sephirae cognomina, quae in *ſublimiori Tabula Sephirothica* R. Iſaaci Lorienſis conſpiciuntur, qua cuivis Sephirae, usque ad מלכות cognominum et vocum ſubordinatarum ſtrues adiicitur, ad exprimendam Dei eſſentiam, eiusque operationes perfectius cognoſcendas, ut Cabbaliſtae volunt, de quibus prolixe agit Autor *Cabb. Denud. P. II. T. I.* Sed ſupervacuum plane duco, quicquam de illis hic commemorare, cum nihil aliud ſint, quam cento quaſi otioſorum et nihil ſignificantium nominum, quae translata ſunt, peregrina et obtorta, et ita comparata, ut ſibi ipſis invicem contrarientur, et mutuo ſeſe expellant. Satis illud conſtabit, ſi quis primae tantum Sephirae cognomina inſpiciet, quae ſunt ſequentia: 1. *Lux.* 2. *Cauſa cauſarum.* 3. *Color niger.* 4. *Lorum phylacterii capitis dextrum.* 5. *Ehieh.* 6. *Fons ſine fundo.* 7. *Miſericordiarum Pater.* 8. *Aleph magnum.* 9. *Timor Domini.* 10. *Lux inacceſſibilis.* 11. *Dies aeternitatis.* 12. *Privatio.* 13. *Mens.* 14. *Tredecim oracula miſericordiae.* 15. *Hic, ille.* 16. *Nihil.* 17. *Oriens.* 18. *Caput album.* Quae ſigillatim ſi perpendimus, pleraque omnia abſona, imo Deo, quo de enunciantur, indigna plane eſſe, luce meridiana clarius apparet. Quid enim *color niger, Aleph magnum, privatio, nihil, Oriens*, et quae ſunt huiuscemodi vocabula alia, ſignificent, profecto nec ab ipſis Cabbaliſtis, in ſcientia hac etiam verſatiſſimis, certo definiri poteſt. Neque hic ſufficit, commoda quadam explicatione ea palliare, ſed requiritur eiusmodi interpretatio, quae menti Cabbaliſtarum ſit conformis, alioqui cuilibet facile eſſet, ex ſuo ingenio quasvis abſurdas opiniones excuſare, et apologia quadam defendere; utut et rectae rationi, et *τρόπῳ παιδείας*, ſeu *modo docendi*, apertiſſime contrarientur. Ad exprimendam itaque Dei eſſentiam, et operationes eius cognoſcendas, quicquam ea nomina conferre, aut iucundisſimos et profundiſſimos ſenſus de Deo rebusque divinis nobis excitare, in tantum abeſt, in quantum, vanisſimos et eſſentiae divinae repugnantes conceptus nobis ea gignere et inſtillare, pro comperto habemus. Rem acu tetigiſſe putamus, Virum Clarisſimum, *Thomam Burnetum*, quando examinatis primae Sephirae cognominibus, de illis eiusmodi fert iudicium: *En octodecim notas et characteres primae Sephiroth, ad illuſtrandam ipſius naturam et virtutes! Ego vero ingenue fateor, per haec additamenta aut appendices me nihil plus ſcire et ſapere. Hoc certe ſcio, rem quampiam male definiri,*

finiri, aut explicari per metaphoras, allegorias, aliasque locutiones figuratas, multo magis per rationes ſibi invicem oppoſitas et repugnantes, in *Archaeol. Philoſ. C. XVII. p. 366. ſeqq.*

§. XII. Reprehenditur quidem ideo ab Autore Introductionis ad *Hiſt. Phil. Ebr. p. 295.* ſed praeter omne meritum. Non enim ſolidi quid habent ea, quae pro coloranda Cabbaliſtarum ſententia hic reponit, terminos nimirum Cabbaliſtis proprios, ipſamque rerum ſublimitatem hanc parere obſcuritatem, atque adeo oſores artis ſuam potius ignorantiam, quam Cabbalae vanitatem accuſare debere, quod haec non capiant; neque obſcuritatem hanc Cabbalae imputandam eſſe, cum et in Scriptura S. plurima cognomina Cabbaliſtica occurrant, nec ideo tamen obſcuritatis arguetur. At vero, num ſcientiae verae et ſolidae eſt, non ſimpliciter et apte doctrinas proponere, ſed perplexis verbis mentem earum, velut oraculis, ſuſpendere, et obſcura per magis obſcura explicare? Longe ſenſit aliter antiquitas veneranda proverbio trito: *ἀνεωγμέναι μουσῶν θύραι*, hoc eſt, *apertae Muſarum debent eſſe ianuae*. Itaque ea de cauſa Cabbala vanitatis eſt arguenda, quod vel ingenioſiſſimum quemque ab hac doctrina obſcuritas reiiciat. Ineptum autem et impium plane eſt, Scripturam velle cum Cabbala conferre, et hinc Cabbalae defenſionem petere, quod plurima vocabula, Cabbaliſtica eodem ſenſu in Scriptura reperiantur. Quin potius vocabula, quae in Scripturis occurrunt, et vel ſolis radiis clariora ſunt, hinc ſurripuerunt, ſuisque inventis ceu nebulis involverunt. Falſum itaque eſt, quod vocabula illa, ſenſu Cabbaliſtico accepta, in Scripturis legantur.

§. XIII. Reſtat, ut diſpiciamus, *an doctrina haec et antiquiſſima, et in S. literis fundata ſit?* Vbi equidem aetatem huius Pſeudophiloſophematis non impugnabo, cum mihi perſvaſum ſit, *X. Cabbaliſtarum Sephiroth* nihil aliud eſſe, quam *Pythagorae Decades*, quas Pythagoras vel ab Aegyptiis, vel ab aliis Orientalis plagae idololatris, accepit, ſecumque Graeciam invexit. Sed circa illud tantum occupabor, ut evincam, ne ullum quidem in Scripturis de hac doctrina extare veſtigium, tantum abeſt, ut Chriſtus et Apoſtoli eandem calculo ſuo approbarint. Multus in eo eſt Autor *Obſerv. I. Halenſis*, ut antiquitatem huius doctrinae ex S. literis, et quidem ſcriptis N. T. demonſtret. Inprimis autem provocat ad *Orationem Dominicam*, in qua doctrinam Sephirothicam velut

Digitized by Google

velut in compendio exhiberi arbitratur; cumque hoc ipſo ſibi mirifice blanditur, quod a nemine hactenus illud fuerit obſervatum. Audiamus ipſummet huius myſterii inventorem: *Hoc forte nemini adhuc obſervatum eſt, in ipſa Oratione Dominica doctrinam Sephirotbicam velut in compendio exhiberi. Quod ita demonſtro. Poteſt Oratio Dominica in duas dividi partes, quarum prima Deum, ad quem preces fundimus, et oeconomiam regni divini, altera hominum miſeriam et calamitatem praecipue reſpicit. In priori petere iubemur:* ſanctificetur nomen tuum. *Nomen ſcilicet* יהוה *quod iuxta Cabbaliſtarum doctrinam tres perſonas Trinitatis denotat. Namque Deo Patri quin hoc nomen conveniat, nullum eſt dubium. De Filio fatentur hoc Cabbaliſtae, dum inter cognomina τῶ* חכמה *referunt Iod Tetragrammati. De Spiritu S. itidem, dum inter cognomina τῶ* בינה *referunt He ſecundum Tetragrammati. Ergo bic ſtatim exhibentur tres priores Sephiroth.* (Egregia interpretatio et collectio, cuius cohaerentiam vel leviter docti eludant. Quae enim conſequentia; Per ſanctificationem nominis intelligitur ſanctificatio nominis Iehovah; E. per nomen illud tres priores Sephiroth, *Cether, Chochmah*, et *Binah* indigitantur. Item Cabbaliſtae recentiores exponunt nomen יהוה de tribus perſonis. E. veterum Cabbaliſtarum eadem ſententia fuit. Item, Cabbaliſtae Iudaei Iod Tetragrammati referunt inter cognomina τῶ חכמה et He ſecundum Tetragrammati ad בינה E. eo ipſo Trinitatem inſinuare voluerunt.) Vlterius pergit: *Cum his in ſecunda petitione coniungitur regnum:* adveniat regnum tuum, *ut ſcopus et finis totius Theologiae Cabbaliſticae, ſapientiſſima oeconomia regnorum divinorum, indicetur.* (Quis vero ſcopus ille Theologiae Cabbaliſticae, an regnum Chiliaſticum? quod Cabbaliſtae cum omnibus fanaticis intendunt. Loquere, ut te intelligam. Hactenus enim per regnum Dei cumprimis regnum gratiae intelleximus, quo nobis dona Spiritus S. offeruntur et donantur; docente B. Chemnitio in *Harm. Evang. C. LI. p. 479.*) *Medium autem adminiſtrandi regna iſta divina conſiſtit in exercitio divinorum attributorum, quae bic coniunctim per* voluntatem divinam *exprimuntur:* Fiat voluntas tua. (Habes VI. reliquas Sephiroth, per voluntatem divinam ſignificatas, ſaltem ut numerus denarius compleatur. Vt enim Cabbaliſticum inventum ſibi conſtet, nulla religio prohibet, torquere

Scripturam et pervertere orationem Dominicam.) *In ſequentibus ad conditionem eorum, qui in regno Eccleſiae vivunt, reſpicitur. In clauſula autem denuo* regni *iniicitur mentio, idque in ſolidum Deo vindicatur,* tuum eſt regnum. (Cui vero vindicandum regnum Dei, niſi in ſolidum Deo? an hoc nunc demum obſervatum fuit in Obſervationibus Halenſibus? Doleo certe, huius tam frigidae ψευδερμηνίας auctorem ſe profiteri Dn. D. Buddeum, *Introductionis ad Hiſt. Phil. Ebr. p. 194.*) *Hinc praecipua attributa divina ſubiunguntur:* et potentia, גבורה *quae eſt Sephira quinta*, et gloria הוד *quae eſt Sephira octava*, ad potentiam *autem referri commode poteſt etiam* גדולה *ſive magnitudo, quae eſt Sephira quarta, uti ad* gloriam תפארת *decus ſive pulchritudo, quae eſt Sephira ſexta: additur denique*, in ſempiternum, *quorſum reliquae duae Sephiroth* נצח et יסוד *victoria et aeternitas, commode referri poſſunt.* Sed ſe non minus, ac alios fallit auctor. Noſtra haec ſimplicitas fuit hactenus, ut orationem dominicam crederemus θεόπνευστον, et ex ſinu Patris a Chriſto allatam. Nunc vero ex fonte Cabbaliſtico hauſtam fuiſſe edocemur, parum ut abſit, quin Optimus Servator plagii cuiusdam Cabbaliſtici inſimulari debeat. At enim Moſis Cabbalam θεόπνευστον eſſe dixerit, velut in *Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr. p. 35.* contendit; Sed hoc unum mihi, velim, demonſtret, hoc unum probet, et erit mihi magnus Apollo. Reliquae ψευδερμηνείαι, quae ex Epiſtola ad *Coloſſenſes* et *Apocalypſi* deſumpſit, eiusdem ponderis ſunt, uti iam in Cabbala Hermenevtica a nobis eſt oſtenſum.

DE
DEO PATRE.

§. XIV.

Eſſentia divina, quatenus a Cabbaliſtis traditur, generatim conſiderata, nunc, quae de Perſonis divinis ſigillatim proferuntur, addere, ordo poſtulat. In confeſſo autem eſt, Cabbaliſtas Iudaeos in tantum a fide Patriarcharum diſcedere, in quantum coelum a terra, ut ſic loqui liceat, eſt disiunctum atque remotum, ut nihil ſolidi vel ad divinam veritatem evincendam, vel ad eandem illuſtrandam conferant, atque adeo ſupervacaneum videtur, multum in Perſonis divinis

nis ex Cabbaliſtarum ſcriptis eliciendis deſudare. Cum tamen ſubinde Patris, Filii, Meſſiae, ac Spiritus S. mentionem faciant, videre placet, quo ſenſu haec nomina ab illis capiantur, utrum in ſenſu Chriſtiano, an vero Iudaeorum moderno? Id quod ex ſequentibus iudicare erit pronum.

§. XV. Ad primam Trinitatis perſonam, quam *Patris* nomine veneramur, quod attinet, divina huius eſſentia, ut apud quosvis alios myſterii S. S. Trinitatis hoſtes, ita et apud Iudaeos quoque extra controverſiam eſt poſita. Patrem autem vocant, non propter aeternam Filii Dei generationem, ſive, quod ab aeterno filium ex ſua eſſentia genuerit *ὁμοούσιον*, conſubſtantialem et aeternum, ſed ideo, quod omnium rerum creator et conſervator exiſtat, et, ſi cum ipſis loqui velis, *Cauſa emanativa* ſit. Idcirco appellatur שירותא *principium omnium:* אב לכלהו *Pater omnium.* Item אב לכלא אבהן *Pater omnium patrum*, ut hi tituli honorarii, et plures alii, in *Idra Suta Sect. VIII. S. 224.* leguntur.

§. XVI. Adhaec deſcribunt eum *ἀνθρωποπαθῶς*, et ſub forma ſenioris, ſuper thronum ſcintillarum ſedentis, exhibent, haud dubie reſpicientes ad ſingularem illam Danielis viſionem, cui Deus hoc modo ſe ſe conſpiciendum praebuerat. Quo etiam alio nomine dictus eſt רעריקא קדישא סרימא רכל סרימין *ſenior ſanctiſſimus, abſconditus omnibus occultationibus.* Item עריק יומין *ſenex dierum*; nec non עריקא רעתיקין *Senior Seniorum:* ut et טמירא רטמירין *occultus occultorum* et אריך אנפין *Arich Anpin*, longus facie, ſeu *Macroproſopus*, in oppoſitione ad זעיר אנפין *Microproſopi*, qui brevem faciem habet, ut haec myſteria Cabbaliſtica prolixe in *Idra Rabba* et *Idra Suta* proponuntur. Tam craſſe vero philoſophantur, ut ſine materiali conceptu haec neutiquam capi poſſint. Nam tribuunt ei non tantum omnia membra hominis, ſed etiam pilos et barbam, quam ita ſubtiliter diſtinguunt, ut etiam tredecim partes eius numerent. Quo dictis meis fidem faciam, de capillis hoc tantum commemorabo, quod *Sect. VII. §. 65.* in *Idra Rabba* ſeu *Synodo magna* de illis legitur: תאנא בגולגלתא דרישא תליין אלף אלפין רבוא ושבעת אלפין וחמש מאה קוצי רשערי חוור ונקי כהאי עמרא כר איהו נקי דלא

Digitized by Google

דלא אפתבך דא כרא דלא לאחואה ערבוביא בתקוניה אלה כלא על בורייה דלא נפיק נימא מנימא ושערא משערא

Traditum eſt: E cranio Capitis pendent millena millia myriadum et ſeptem millia et quingenti cincinni capilli albi et puri, ſicut eſt lana, cum pura eſt; qui non immixti ſunt invicem, ne oſtendatur inordinata perturbatio in conformatione eius; ſed omnia ad ſelectum, ut non prodeat pilus prae pilo, et crinis prae crine.

§. XVII. Quod reliquum eſt, de eodem garriunt Cabbaliſtae, quod ideo membris ſit efformatus, primo, ut eo melius cognoſcatur, et ab intellectu humano percipiatur, ſiquidem absque tali corformatione a nemine poſſit comprehendi. Sic enim in *Idra Rabba*, ſeu *Synodo magna, Sect. III. §. 36, 37.* docetur: תאנא בצניעותא דספרא עתיקא דעתיקין סתרא דסתרין אתתקן ואזדמן כלומר אשתכח ולא אשתמח לא אשתמח ממש אבל אתתקן ולית דיהע ליה משום דהוא עתיק דעתיקין id eſt, *Traditum eſt in occultatione Regis, libro deſcripta: Senior Seniorum occultus occultorum, in membra compoſitus et praeparatus eſt.* (pro futura cognitione) *Quaſi diceretur, inventus eſt,* (id eſt, aliquatenus cognoſci potuit) *et non inventus eſt: non enim plane comprehendi potuit: ſed formatus quidem eſt, nec tamen innotuit alicui, quoniam eſt Senior Seniorum.* Deinde etiam, ideo eum eſſe conformatum, perhibent, ut eo conformato omnia formari et ſimul diſponi poſſent, ac ſubſiſterent. Quo de iterum in *Idra Rabba* ſeu *Synodo magna. c. l.* דעל לא אתתקן הוא בתקונוי לא אתתקנו כל אינון דבעו לא תתקנא וכלהו עלמין אתחרבו. *Antequam ille* (ſenex dierum) *non diſponeretur in conformatione ſua, non ordinatum eſt quicquam, quod ordinandum erat; et omnes illi mundi vaſtati ſunt.*

DE
FILIO DEI.
§. XIIX.

Altera perſona Deitatis *Filius* eſt, quem Cabbaliſtica Theologia plane ignorat. Equidem illa *Tiphereth,* quae quarta eſt Sephirah, aliquando *Filium* appellat; verum per illum non intelligit *Filium Dei,* ſed *emanativum* aliquod, quod a Macroproſopo fuit productum,

et

et ab illis *Seir Anpin*, ſeu *Microproſopus* appellatur. De Meſſia autem, quicquid garriunt, ineptum et futile eſt. Nam Chriſtum nec ut θεάνθρωπον agnoſcunt, nec eius *officium tergeminum* aſſerunt, quod ſit Propheta Evangelicus, Sacerdos monadicus, atque Rex noſter aeternus et ſummus. Nec denique *Statum* illius *duplicem*, Exinanitionis, aeque, ac Exaltationis, admittunt, nedum, ut, per fidem ſalutem aeternam unice nos conſequi poſſe, affirment. Itaque hoc ſalutis aeternae Palladium penitus Theoſophia Cabbaliſtica ignorat, et, ſi quaedam de Chriſto eiusque pro nobis praeſtita expiatione deblaterare videtur, corrupta tamen illa omnia et inſulſa ſunt, et miris figmentis coinquinata, quod ex ſequentibus doctrinarum portentis, quae obſervare hinc inde nobis licuit, dilucidius apparebit.

§. XIX. Sic de *adventu Meſſiae*, deque tempore adventus eius, haec talia ſibi ſomnia Cabbalaei fingunt. Meſſiam non prius, aiunt, adventurum, usque dum omnes animae, corpori *Adami Belialis* incluſae, plene prodierint. Vti R. Iiziak Loria id confidenter aſſerit, dicens: *Cum reſtitutae erunt omnes animae, ereptumque bonum e malo; ita, ut bonum, quod in pedibus animae Adami Protaplaſtae erat, e pedibus impuritatis extractum ſit; tunc veniet Mesſchiach. in Tract. de Revol. animarum C I. §. 19.* Et, cum in ea haereant opinione, mundum hunc univerſum, ſex annorum millibus eſſe duraturum, bis mille annos hominibus ſine lege viventibus, bis mille ſub lege degentibus, aſſignant; reliquos bis mille annos ad Meſſiam referunt, quos ideo etiam *dies Meſſiae* appellant. Deinde, *Meſſiam Moſen ipſum*, perhibent, *eſſe futurum*, qui a Moſe Propheta illo nihil differat, niſi in hoc, quod tunc, cum advenerit, gradum adhuc ſublimiorem, *mentis* nempe *mentem*, ſit aſſecuturus, quam de ſplendore ſuperno nondum ulli creaturarum in mundo, neque Adamo protoplaſtae poſt peccatum, neque Abrahamo, neque Moſi conſtanter datam fuiſſe arbitrantur. Neutiquam tamen ſublimiorem perfectionis gradum, quam Adamus Protoplaſtes ante peccatum habuerit, eum accepturum eſſe, opinantur. Verum haec cerebri male ſani ſunt τεχνάσματα, quorum abſurditas vel a coeco palpari poſſit. Nam Moſen futurum eſſe Meſſiam ridiculum et futile commentum eſt, dubio procul ex hypotheſi de *revolutione animarum* prognatum. Quae vero de praerogativa, qua prae reliquis hominibus Meſſias gaviſurus ſit, Cabbaliſtae

ſtae aſſerunt, iterum partim ludicra, partim in perſonam Meſſiae iniurioſa ſunt, et ideo non confutatione, ſed flagris propemodum digna. Longe enim excellentiori perfectione, quam Protoplaſtes in ſtatu integritatis fuit, Meſſiam praeditum fuiſſe, vel exinde intelligi poteſt, quod Chriſtus non nudus homo fuit, ſed θεάνθρωπος, in quo πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος *tota plenitudo Deitatis* habitat. *Coloſſ. II, 9.*

§. XX. Sed nugas Iudaeorum mitto, et me ad Cabbaliſticos Chriſtianos converto, quos in fingendis abſurditatibus fere Iudaeorum Magiſtros ſuperare dixeris; dum quilibet pro ſuo ingenio et arbitrio myſteria quaedam de Meſſia e Cabbala eruit, licet nil minus, quam doctrinam de Chriſto complectantur. Ex his autem *Henricus Morus* reliquis ſuis complicibus palmam, ſi non praeripere, dubiam tamen reddere poteſt, quippe qui tam diligens in exſtruendis e veterum Cabbaliſtarum dogmatibus fuit, ut eum non veteris Cabbalae interpretem, ſed novi Cabbaliſmi conditorem ſummo iure appellare poſſis. Et quidem, ut clarius mentem meam explicem, Filium Dei per *Adamum Kadmonem*, ſive e doctrina Sephirothica per חכמה expreſſum a Cabbaliſtis fuiſſe contendit. Huic λόγῳ ſive Filio Dei aſſignat *animam*, quam animam Meſſiae *Seir Anpin* vocat, eamque perinde, ut ceteras animas, tum angelicas, tum humanas, in principio cum ipſo mundo materiali creatam, ac a primis usque ſeculis cum חכמה ſive aeterno λόγῳ, ut una fieret perſona, unitam, poſteaque a Deo Patre principem omnium animarum in quocunque ſtatu poſitarum conſtitutam fuiſſe, ſimulque regnum quatuor orbium, ſive mundorum, *Aziluthici, Briatici, Iezirathici* et *Aſiathici* tenuiſſe arbitratur. Atque in hoc conſtitiſſe, pergit, inſignem illam gloriam, quam obtinuerit Meſſias ante iacta mundi fundamenta, et quae ad illum ſpectaverit, quatenus fuerit Meſſias, detorto in hunc ſenſum dicto illo *Io. XVII, 5. glorifica me tu, pater, ea gloria, quam apud te habui, antequam hic mundus factus.* Vid. Henr. Morus *in Expoſ. Mercavae Poſt. XIII, XIV.* Sed inſulſa haec de Filio Dei poſtulata ſunt, quae in tantum explodenda, in quantum elucet, quod S. literarum veritati repugnent, et Platonico illi principio de *praeexiſtentia animarum* innitantur. Nam magnum adhuc poſtulatum eſt, utrum per *Adam Cadmon* et *Chochmah* ſecunda, an vero prima Deitatis per-

perſona intelligatur, de quo Cabbaliſtae ipſi maxime adhuc inter ſe digladiantur. Figmentum quoque cerebri Moriani craſſiſſimum eſt, animam Meſſiae ante incarnationem eius extitiſſe, et cum λόγῳ, ſive Filio Dei primis ſeculi temporibus fuiſſe unitam, de quo in S. literis altum eſt ſilentium. Et ſic pronum eſt iudicare, quam verum illud ſit, eam fuiſſe Regem omnium mundorum. Hoc quidem ſcimus, Filium Dei ſecundum divinam naturam ab aeterno extitiſſe Regem huius univerſi, omniumque creaturarum, ſed ſecundum humanam naturam ſub nativitatis tempore Rex natus factusque eſt, uti patet ex *Matt. II, 11. Luc. II, 11.*

§. XXI. Vt vero error errorem trudit; et, ſemel apertis foribus, nec meta, nec finis eſt labendi; ita etiam ex priori falſa concepta hypotheſi error non levis promanat, quem de *Incarnatione Meſſiae* Henr. Morus errat. Nimirum ſtatuit, quod Filius Dei cum anima Meſſiae ἐνανθρωποθεὶς ideo carnem tandem de gente Iudaica ſumpſerit, ut adhuc familiarius cum ſuis verſari poſſet. Quo refert verba Prophetae *Ez. I, 6. deſcendet ut pluvia in vellus, ut gutta ſtillans in terram.* Per *vellus* enim indicari corpus Chriſti agninum, quod ita appelletur, tum quoad temperamentum innocuum et immaculatum, tum quoad uſum illius deſtinatum, cum agnus futurus erat Paſchalis. Per *guttam* vero intelligi animam Meſſiae, quae deſcenderit in terrenum corpus. Vid. eius *Catecheſis Cabbaliſtica p. 282.* Verum haec pariter ſunt confiсta et ἄτερ γραφῆς aſſerta. Non enim Filius Dei incarnandus animam de coelo ſecum deportavit, ſed ex Maria virgine cum ipſo corpore aſſumpſit. Neque eum in finem homo factus eſt, ut familiarius cum populo Iudaico verſaretur, ſed, ut partes Redemtoris ex aſſe implere, et morte ſua Patri irato exacte facere poſſet ſatis. Dictum vero Ezechielis perperam ab illo eſt adductum, et more Cabbaliſtico ad hypotheſin hanc abreptum.

§. XXII. Non minus de *Regno Chriſti* etiam more fanatico idem Autor differit, citato loco, maieſtatem illius et gloriam ex doctrina Sephirothica demonſtraturus. Nam occaſione Sephirae *Gedola* quaerit, *quae ſit amplitudo et magnitudo regni Meſſiae?* ad quam quaeſtionem reſpondet ex *Baruch. C. IV, 20. O! Iſraël quam magna eſt domus Dei tui, quam amplus locus poſſeſſionis eius? etc.* Ex Sephirah *Gebhurah; quibus viribus virtutibusque exſtructa ſint genuina Meſſiae membra?*

 ad

ad quod quaeſitum reſpondet ex *Phil. IV, 13. omnia poſſum per eum, qui me corroborat, Chriſtum.* Ex Sephirah *Tiphereth; quae ſit* ευταξία *politica pulchrave ordinis politici atque legum in regno Meſſiae conſtitutio?* reſpondet ex *Col. I, 15.* quod Chriſtus, qui eſt *imago Dei inviſibilis, ſit* πρωτότοκος πάσης κτίσεως, h. e. ut ille exponit, *Princeps totius Hierarchiae etc.* Ex Sephira *Nezach, quae praelia ſint, quaeve victoriae regni Meſſiae?* reſpondet ex *1. Cor. XV, 54.* κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, et ex *Rom. VIII. 37.* ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν. Ex Sephirah *Hod, quae pompae, qui triumphi ſint regni Meſſiae?* reſpondet ex *Apoc. III. 5. Qui vicerit, amicietur veſtimentis albis.* Ex Sephirah *Ieſod: quae ſit ſtabilitas, quaeque duratio fuerit, ac futura ſit regni Meſſiae?* reſpondet ex *Pſ. XLV.* ὁ θρόνος σου εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, et ſic porro.

DE
SPIRITU SANCTO.

§. XXIII.

DE *Spiritu S.* eiusque divinitate ſupereſt, ut nonnulla proferam, qualia quidem in Cabbaliſticis Doctoribus obſervare licuit. Illum vocant רוח דרחמים *Spiritum miſericordiarum*, רוח יהוה *Spiritum Iehovae*, רוח דמשיחא *Spiritum Meſſiae.* Porro etiam illum nuncupant שכינה ſive *habitationem divinam*, ut ex R. Elia Levita conſtat, qui in expoſitione huius vocis fortiter aſſerit et defendit, vocabulum illud nihil aliud inſinuare, quam *Spiritum S.* cuius denominationis hanc affert cauſam, quia Spiritus S. Prophetas non tantum donis ſuis exornat, ſed etiam ſuper illis quaſi quieſcit. Quod argumentum quoque erudite pertractat inſignis Philologus Camp. Vitringa, in *Obſerv. S. Diſſ. II. L. I. C. IV. p. 155. ſeqq.*

§. XXIV. Quamvis vero Iudaei Spiritum S. eodem nomine, quo Chriſtiani, efferunt, non tamen eum pro *Perſona divina* habent, ſed tantum pro *divina virtute Deo emanante* agnoſcunt. Quod exinde colligere licet, cum ex naſo Macroproſopi Spiritum S. procedere fabulantur. Aliquot huius rei teſtimonia afferam ex *Idra Rabba*, ſeu *Synodo magna.* Sic *Sectione X. de Naſo Macroproſopi* §. 178. *ſeqq.* inter alia haec verba leguntur: חד רוחי רחיי דביה זמינין לינמנה לבחירה דדוד

דדוד למנדע חכמתא׳ ומההוא נוקבא אתער ונפיק רוחא ממוחא סתימאה וזמין לאשרא על מלכא משיחא׳ דכתיב ונחה עליו רוח יהוה רוח חכמה ובינה רוח עצה וחבורה רוח דעת ויראת יהוה. *Vnus eſt Spiritus vitae, per quem tempore filii David cognituri ſunt ſapientiam. Et ex illo foramine* (ſcilicet naſi Macroproſopi) *excitatur et procedit Spiritus ex cerebro occluſo, et aliquando quieſcet ſuper Rege Meſſia. Sicut ſcriptum eſt: Et quieſcet ſuper eo Spiritus Domini, Spiritus ſapientiae et intelligentiae, Spiritus conſilii et fortitudinis, Spiritus ſcientiae et timoris Domini.* Quae etſi *μυθικῶς* ſunt dicta, illud tamen evincunt, nihil aliud per Spiritum S. Cabbaliſtas intelligere, quam virtutem quandam ex Deo emanantem.

§. XXV. Denique et hanc traditionem habent, omnia comprehendi in hoc Spiritu Senioris Seniorum, ut illum vocant, eumque includere omnes Spiritus, omnemque ſapientiam et intelligentiam, omniaque chariſmata. Sic enim ibidem §. *195. ſeqq.* docetur: וזמין קבה לאפקה חד רוחא דכליל מכלהו׳ דכתיב מארבע רוחות באי הרוחי ארבע רוחות באי לא כתיב כאן אלא מארבע רוחות באי׳ וביומי דמלכא משיחא לא יצטרכון למילף חד לחד דהא רוחא דלהון דכליל מכל רוחין יודע כלא חכמה ובינה עצה ונבורה רוח דעת ויראת יהוה משום רוחא דכלילא מכל רוחי. *Producturus eſt ſanctus benedictus ille Spiritum unum, qui in ſe includat illos omnes. Quia ſcriptum eſt, de quatuor ſpiritibus: Veni Spiritus. Non ſcriptum eſt ſic; quatuor Spiritus venite, ſed de quatuor ſpiritibus, veni. Et in diebus Regis Meſſiae non opus erit, ut alter doceat alterum: ille enim Spiritus eorum, qui in ſe comprehendit omnes Spiritus, novit omnem ſapientiam et intelligentiam, conſilium et fortitudinem,* (et eſt) *Spiritus ſcientiae et timoris Domini; quia eſt Spiritus complectens omnes Spiritus.* Et iterum eadem in Sectione §. *199.* ותאנא דכלהו כלילן בהאי רוחא דעתיקא דעתיקין דנפק ממוחא סתימא לנוקבא דחוטמא. *Et traditio eſt. Omnia comprehenduntur in hoc Spiritu Senioris Seniorum, qui procedit e cerebro occulto in foramen naſi.* Ita veritas divina pervertitur, et nebulis quaſi obtegitur.

DE

DE
PRODVCTIONE RERVM.
§. XXVI.

NVnc quoque *actiones Dei* perpendamus; et primum potentiae divinae opus eſt *Productio rerum*, de qua varia garriunt Cabbaliſtae, variosque ſerunt errores. Deum enim ſibi concipiunt non ut *Cauſam mundi efficientem*, ſive *producentem liberam*, a qua effectus diſtinctiſſimus eſt, qualem productionem nos ſub creationis notione intelligimus; ſed, ut huius mundi *Cauſam emanativam*, cuius effectus vere ſit ipſius cauſae Efficientis pars et particula. Decumanus hic error et reliquis ferme omnibus Paganorum Sectis communis fuit, qui etiam tam late ſerpſit, ut Haeretici, Philoſophorum placitis innutriti, quales erant *Nicolaitae*, *Gnoſtici*, *Valentiniani*, *Manichaei* eodem fuerint imbuti. Quin imo, et noſtra aetate, vel proxime ante, prodierunt *VVeigeliani*, *Schwenckfeldiani*, *Quakeri*, *Böhmiſtae*, ac, quos ſummo iure hic referas, *Fanatici* moderni, qui crambem illam Cabbaliſticam, ſaepius recoctam, nobis commendant. Vid. Theologi Celeberrimi Dn. D. Neumanni, Diſſertatio nuper habita, de *Chriſtianiſmo Stoico*. §. 13, 14. Nec origo, unde craſſus hic error invaluit, nos fugit. Communis nimirum Cabbaliſtarum opinio eſt, et primum quaſi principium, *nihil ex eo, quod non eſt, fieri atque oriri.* Cum itaque creationem ex nihilo factam inficiarentur, etiam non aliunde, quam ex eſſentia divina originem omnium rerum illos petere potuiſſe clarum eſt. In tantum vero hic error abominabilis eſt, in quantum ex eo errores alii craſſiores promanant. Si enim Deus cauſa Emanativa eſt omnium rerum, ſequitur (1) quod Deus ex neceſſitate eſſentiae, et ſic ab aeterno, mundum condere debuiſſet: (2) quod Dei eſſentia ſit mutabilis: (3) quaevis etiam creatura eſſet particula eſſentiae divinae, adeoque (4) tota natura infinita ac Deus modificatus; (5) quod nulla materia detur, ſed omnia ſint Spiritus. (6) Denique, quod mundus ſit aeternus.

§. XXVII. Hunc errorem excipit alius, non minus craſſus, qui creationem Dei immediatam evertit, et Anthropomorphitarum delirium iterum in Eccleſiam invehit. Nam effingit ſibi Theologia Cab-

Cabbaliſtica aliquod idolum, quod vocat אדם קדמון *Adam Kadmon*, cuius ope et auxilio אין סוף omnia produxiſſe fertur. Eſtque ſecundum mentem Cabbaliſtarum nihil aliud, quam *lumen omnium prius, ſive emanans primum Azilutbicum a luce infiniti intra ſpatium evacuatum immiſſum, a quo deinceps reliqua omnia lumina, omnesque mundi Emanationis, Creationis, Formationis et Factionis ortum traxerint*; docente R. Abrah. Cohen Irira *in Porta Coelorum Diſſ. IV. C. XIV. §. 2.* et *Diſſ. V. C. XII.* Suffragatur in eo R. Iizchac Loria *in Tract. I. Lib. Druſchim C. II. p. 32.* Videatur inſuper Autor *Cabb. Denud. in Lex. Cabb. p. 30.* Idcirco etiam appellatur ab illis *primum cauſatum*, כתר עליון, *corona ſumma, principiatum primum et ſummum, cogitatio divina, intellectus occultus, idea ſuprema conceptusque Syſtematis Aenſophici, radix atque ſcaturigo luminum ſupernorum*, quae inſtar Neſchamae vitam dat mundo emanationis. Vti R. Abrah. Coh. Irira has denominationes ſummatim exhibet in *Porta Coelorum Diſſ. IV. C. III. §. 3.* Quae mihi quidem plane congruere videntur cum *Gnoſticorum*, *Manichaeorum* et *Arianorum* deliriis, qui Chriſtum immediate a Deo creatum eſſe, et per eum univerſum, aſſerebant, apud Epiphanium *Haereſ. LXIX.* De cetero, hunc Adamum Kadmonem ſub forma hominis repraeſentant, eique cranium, capillos, frontem et oculos, naſum, barbam et barbulam, corpus et pedes attribuunt. Quae ſingula uti miro et ridiculo plane modo ab illis explicantur, ita non niſi ſuperſtitioſam, ſi non idololatricam plane, contemplationem gignunt. Ea de cauſa quoque haec Cabbaliſtarum Philoſophia de Adamo Kadmone diſplicet Henr. Moro, quod multo craſſior ſit imaginatio, quam, ut quemquam aedificet in vera rerum notitia. Vt conſtat ex eius *Quaeſtionibus* in *Cap. II. Lib. Druſchim.*

§. XXIIX. Sed quo commenta haec ſunt abſtruſiora, eo altiores radices in animis hominum ſuperſtitioſorum ſaepiſſime agunt, ita, ut veluti ambobus brachiis ab illis avidius recipiantur et approbentur. Quod videre licet in hodiernis Cabbalae explanatoribus, qui multa fingunt, ut placita Cabbaliſtarum abſona doctrinis religionis Chriſtianae conforment. Imprimis in eo ſolliciti ſunt, ut quid *Adam Kadmon* ſit, ad liquidum perducant, in quo tamen, adeo adhuc inter ſeſe digladiantur, ut alius *Filium Dei*, alius *animam Meſſiae*, alius

Digitized by Google

denique ipſum *Deum*, ſeu ad minimum *quandam Dei virtutem*, ſive *manifeſtationem operationis divinae* intelligendam cenſet; quamvis nihil omnino habeant ſolidi, quo opiniones ſuas tueri et confirmare poſſint. Nam, ſi per Adamum Kadmonem intelligatur *Filius Dei*, incongruum primo eſt, quod ipſi principium temporale attribuatur, cum Filius Dei non in tempore ceperit, ſed ab aeterno a Deo fuerit genitus. Deinde etiam pugnat cum Scripturis, quod Deus concipiatur aliquando non generaſſe τὸν Λόγον; quaſi unquam poſſet eſſe Deus ἄνευ τȣ̃ Λόγȣ, quod aperte repugnat verbis Hieropſaltae: *Tu es Filius meus, ego hodie genui te. Pſ. II, 7.* Si vero per eum intelligatur *anima Meſſiae*, ut arbitratur *Chriſt. Knorrius a Roſenroth*, ſequeretur, quod anima Meſſiae ante tempus conceptionis extiterit, et totus homo non ex Maria fuerit aſſumptus, ſed ſaltem corpus, qui decumanus error eſt, et in *Carpocratianis* iamdudum exploſus et reiectus. Denique, ſi ipſe *Deus*, vel *operatio divina* per Adam Kadmon intelligenda ſit, ut Autor *Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr.* contendit, etiam haec interpretatio nimis dura eſt, nec menti Cabbaliſtarum reſpondet. Nam Adam Kadmon illis idem eſt, ac *Cauſatum primum*, quod a cauſa prima productum, item, quod per emanationem in tempore cepit, quae certe omnia cum Dei eſſentia pugnant, nec unquam ipſi attribui poſſunt ac debent.

§. XXIX. Reponit quidem dictus Autor ad illa quaedam, quae vero nimis frigida ſunt, nec litem dirimunt. Primum autem ex ipſis Cabbaliſtis probare nititur, illos per Adam Kadmon intelligere Deum, et quidem in *Obſ. Hal. T. I. Obſ. XVI. p. 225.* R. Simeonis Ben Iochai effatum in *Tickunim* in medium affert, quod Autor Lexici Cabbaliſtici ſub voce אדם קדמון commemorat. Verum illud perperam intellectum, perperam etiam hic adducitur, quod ex verbis huius Magiſtri planiſſimum evadit. *Nulla*, inquit, *datur Sephirah, quae non vocatur Adam, ſed Adam ſupremus omnium eſt corona ſumma: huic nomen eſt Adam Kadmon, homo anterior, vocaturque* קדמון *anterior ſive prior, quia eſt ante totam Aziluth, eaque prior.* Quaeſo te, ubi ex his verbis id exſculpi poteſt, quod per Adamum ſupremum intelligant ipſum Deum, cum nihil amplius innuatur, quam hoc, Adamum illum omnium Sephirarum eſſe ſupremum, prioremque dici, cum ante totum mundum Aziluthicum primum ab אין סוף fuerit productus. Deinde, quando Adam Kad-

Kadmon a Cabbaliſtis dicitur productus, excipit, *illud ſecundum ſtylum et ſcribendi rationem Cabbaliſtis propriam, intelligendum eſſe.* Illis enim ſolenne eſſe, quamvis manifeſtationem vocare *emanationem*, itemque *productionem*, nec non *creationem.* Quando itaque Adam Kadmon productus dicitur, nihil aliud indicari, putat, quam, quod operatio divina manifeſtata fuerit, et Deus ſeſe per illam exeruerit. Et ita ceteros Cabbaliſtas intelligendos eſſe, quoties *Adam Kadmon* creaturam nuncuparint. At enim vero unde conſtat, quod, cum Adam Kadmon productus dicitur, nihil aliud Cabbaliſtae per illum intelligant, quam manifeſtationem operationis divinae. Aliud quid ex deſcriptione Cabbaliſtarum percipitur, qui Adam Kadmon per *lucem primigeniam* deſcribunt, *primum* ab אין סוף *emanantem*, quae certe verba non meram manifeſtationem operationis divinae inſinuant. Probandum itaque incumbit Auctori huius ſententiae, ut e Cabbaliſtis evincat (*α*) *Adam Kadmon* notare tantum *operationem divinam.* (*β*) *Emanare, producere*, et *creare* apud illos eſſe eadem, et tantum meram ſignificare *manifeſtationem.* Concedimus autem, quod Cabbliſtae per illum intelligant ipſam eſſentiam divinam modificatam, quemadmodum ceteras res ex eſſentia Dei emanaſſe, et radicaliter ſpectatas, eſſentiam divinam eſſe profitentur.

§. XXX. Itaque de Cauſa, quam illi fingunt, Efficiente ſatis conſtat. Ex qua vero *Materia* creationem deducunt? Nimirum creationem ex nihilo factam negant, ex adverſo *omnia ex eſſentia divina emanaſſe* confidenter aſſerunt. Fabulantur enim primum Ens, ſive Aen-ſoph, in ſe continere omnia, et mundum huncce tum demum exiſtere, cum Deus ſeſe explicet et evolvat per emanationes et effluxus a ſummis ad ima, quibus conſtituuntur diverſae rerum creatarum formae et ordines. Hunc craſſiſſimum errorem amplectuntur hodierni quoque Cabbalae fautores, illumque ceu myſterium quoddam extollunt. Vir eruditiſſimus, Thomas Burnetus, quicquid ſani eſt in Cabbala recentiori, huc collimare putat, ut veterum mentem de emanatione rerum omnium a Deo, et earundem ad illum reductione nos edoceat, in *Archaeolog. Phil. L. I. C. VII. p. 323.* Sententiae Burneti ſuffragatur Autor Introd. *ad Hiſt. Phil. Ebraeorum*, magnumque hic et Ebraeae et Gentilis Philoſophiae myſterium latitare arbitratur. *p. 136.* Sed num myſteria ſapientiae mundanae maioris certitudinis ſunt,

ſunt, quam ſapientia Dei in myſterio? Num fides Paganorum fidem Dei evertet? abſit. *Fide intelligimus coagmentata eſſe ſecula verbo Dei, ita ut non ex apparentibus ea, μὴ ἐκ φαινομένων* i. e. *ex nihilo, quae videntur, facta ſint. Ebr. XI,3.* Quod idem gentium Apoſtolus apertis verbis confitetur *Rom. IV,17. vocat Deus τὰ μὴ ὄντα,* i. e. *ea, quae non ſunt, ut ſint.* Scriptor quoque Maccabaeorum *L. II. C. VII. 28.* illuſtre huius rei teſtimonium perhibet, cum matrem VII. filiorum ſic loquentem inducit: *Rogo te, aſpice coelum et terram, et intellige, quod ἐξ ὐκ ὄντων, ex non entibus, fecerit ea Deus.* Falſum itaque eſt, quod in *emanatione ex eſſentia Dei* magnum Ebraeae Philoſophiae, et quidem purioris, myſterium fuerit abſconditum. Foedus hic error eſt, non myſterium, qui veritatem creationis evertit, et ad Spinoſiſmum et Atheiſmum feneſtram aperit. Quod H. Morus in *Fundamentis Philoſophiae*, ſive *Cabbalae*, ut vocat *Aeto-paedo-meliſſaeae* accurate demonſtrat, ubi doctrinam Cabbaliſticam, quae ad hocce quidem caput ſpectat, XVI. Theſibus complectitur, illasque accurate et erudite confutat. Idem praeſtitit B. Hinckelmannus in *Detectione Fundamenti Boehmiani*, quem vide.

§. XXXI. Equidem nullo tempore defuerunt, qui Cabbaliſtarum partes in ſe reciperent, illosque a ſuſpicione impietatis liberarent, ſed infelici magis, quam felici conatu. Dum enim erroneas et impias illas theſes diſtinctiunculis quibusdam palliare et colorare voluerunt, ſe ipſos in ſuſpicionem eiusdem erroris praecipitarunt. Sic Autor *Cabb. Denud. ad Fundamenta Cabbalae Aeto-Paedo-Meliſſaeae* per Dialogum quendam Cabbaliſtarum hypotheſes ab H. Moro propoſitas tam infelici ſidere defendit, ut totam cauſam tradiderit, et ſententiae huius deformitatem denudarit abunde; uti recte iudicat Celeberrimus Dn. D. Roeſchelius, *Poſitionum Phyſicarum Miſſu Sexto*, qui ideo legi omnino meretur. Autor *Introduct. ad Hiſtor. Phil. Ebraeorum p. 328.* paulo cautius eorum partes defendit, iisdemque hanc, quae ipſis merito inuſta eſt, impietatis notam delere cupit. Nam quod attinet ad Propoſitiones ab Henr. Moro in medium allatas, illas eiusmodi eſſe commatis dicit, ut illarum impietas atque error prima ſtatim fronte ſe ſe prodat. Dubitat tamen (α) an omnino Cabbaliſtarum menti haec Philoſophia ſit conformis, et (β) an omnes in eam conſentiant, et (γ) annon commodiorem ſenſum illorum effata admittant. Ad minimum veterum Cabbalam hic ſedulo a recentiorum doctrina

doctrina diſcernendam eſſe putat. Cumprimis autem notandum ait, non ſtatim eiusmodi impietatis reos eſſe, qui mundum per emanationem a Deo eſſe contendunt, cum duplici modo emanatio concipi poſſit, vel ita, ut, quod emanat, *unam eandemque conſtituat eſſentiam*, vel ita, *ut ab eo ſeparetur:* Priori modo qui emanationem intelligunt, in magnum periculum Spinoſiſmi ſe ſe coniicere, aſt, qui poſteriori modo eam capiunt, nihil aeque docere, arbitratur, quod debeat reprehendi. Atque ſic non dubitat ſuffragari ſententiae *Burneti*, totum hunc Cabbalae apparatum eo tendere, ut nobis ſecundum mentem veterum exhibeat rerum omnium proceſſum a prima cauſa, et earundem in primam cauſam receſſum, modo hoc recte capiatur, et ſemper diſtinctio inter *creaturam* et *creatorem* retineatur.

§. XXXII. Ita vel errorem incruſtare magis, quam refutare videtur. Nam, quando quaerit, *an Cabbaliſtarum menti haec Philoſophia ſit conformis?* de eo vix dubitare debebat, dum ſcripta illorum id aperte teſtantur; vocant enim Deum *radicem omnium*: Item, mundum, dicunt, nihil aliud eſſe, quam *Deum expanſum* etc. Cabbaliſtarum quoque interpretes unanimi conſenſu id confirmant; Sic *Henr. Morus*, *Chriſt. Knorrius*, *VVachterus*, *Rittangelius* aliique plures eo modo verba Cabbaliſtarum intelligunt. Nec ipſe Autor hoc diffitetur, ſed inſuper quoque docet, quod ſaepius ideo verba faciant de *vacuis*, *vaſis*, et *vaſculis*, ad recipiendos hos effluxus, de *radiis effluentibus*, et de *Canalibus*, quibus decurrant et propagentur. Si dicat, recentioris tantum Cabbalae haec eſſe dogmata, quae veteri doctrinae Cabbaliſticae nulla ratione ſint imputanda; oſtendendum eſt ex illa veteri Cabbala, quod Cabbaliſtae aliud quid ſtatuerint, aliter nihil contra nos militabunt. Cum vero poſtulat, ut oſtendatur, *an omnes in hac doctrina de emanatione ex Dei eſſentia conſentiant?* poſtulamus ab eo, ut oſtendat, quinam e Cabbaliſtis, et quidem veteribus, unquam diſſenſerint. Porro, cum quaeritur, *annon commodiorem ſenſum illorum effata admittant?* notandum eſt, quod non de commoda explicatione interpreti diſpiciendum ſit, ſed de vero et genuino ſenſu, qui menti Cabbaliſtarum reſpondeat. Praeterea, quando duplicem emanationem fingit, *aliam, quae eſt eiusdem eſſentiae, et aliam, quae eſt diverſae eſſentiae cum emanante*, ipſa haec diſtinctio difficultatem au-

get, aliumque errorem excludit, et illum quidem perinde abominandum: dum creaturas ex eſſentia Dei productas, cum *Manichaeis*, *Schvvenckfeldiſtis*, *VVeigelianis*, *Böhmiſtis* ac *Pietiſtis* ſtatuit, quippe qui uno omnes conſenſu aiunt, Deum ſeſe, ut barbaro illorum vocabulo dicam, *creaturaſſe*, id eſt, ex eſſentia ſua creaturas a ſe diverſas produxiſſe.

§. XXXIII. Nunc igitur, quae ſunt illa, quae ex אין סוף ſive eſſentia divina dimanaſſe ſtatuunt? Nimirum, quatuor iſti decantati mundi ſunt, qui ſub his nominibus comprehenduntur: Primus eſt אצילות *Aziluth*, ſive *mundus emanationis*. Alter בריאה *Briah*, *creationis*; Tertius יצירה *Iezirah*, ſive *Formationis*; Quartus denique עשיה *Aſiah*, ſive *Fabricae* vel *fabricationis*. In horum ſummitate collocant *Aenſoph*, ſive, ut alii appellant *mundum Aenſophicum*. Neque veterem Cabbalam Theoſophicam Iudaeorum ſupra hos Aeonas unquam aſſurrexiſſe Henr. Morus exinde, quamvis ſatis frigide, exſculpit, quod ſuper viſionem Ezechielis fundati ac ſtabiliti ſint, qua rotis quatuor totidem hoſce mundos ſignificari docet, in *ulteriori disquiſitione de rebus in amica reſponſione contentis*, quam Autor Cabbalae denudatae inſeruit *T. I. P. II. p. 188.* Videatur quoque Lexicon Cabbaliſticum *in voce* אצילות *et reliquis*, it. R. Abraham Cohen Irira *in Porta coelorum*, *Diſſ. V. C. VII.*

§. XXXIV. Obſcura ceteroqui ſunt, quae de his mundis Cabbaliſtici doctores docent, quod vel ipſe Auctor *Introductionis ad Hiſtor. Phil. Ebraeorum* §. *XLII. p. 306.* non diffitetur. Quidam enim putant, quatuor haec Syſtemata mundi nihil aliud eſſe, quam *quatuor repraeſentatae divinitatis claſſes*, lumine ſemper magis magisque diminuto, quales ſunt varii praeſentiae divinae gradus, quam ſententiam dictus Autor citato loco Chriſt. Knorrio a Roſenroth tribuit et ex eius verbis, quae in *Cabbala denudata T. II. P. III. p. 248.* profert, oſtendere annititur. Henr. Morus ſecundum Philoſophiam Carteſianam hoſce mundos explicat, et ſibi concipit *vorticem*, quem in *quatuor* eiusmodi *orbes* dividit, illisque etiam certos terminos atque certa ſpatia determinat. Nimirum Orbem, ſive mundum *Azilutbicum* a margine *vorticis* extendit ad orbitam *Saturni*: *Briathicum* ab orbita *Saturni* ad orbitam *Martis*: *Ieziratbicum* ab orbita *Martis* ad orbitam *Mercurii*:

Aſia

Digitized by Google

Aſiathicum vero ab orbita *Mercurii* ad *corpus Solis iam frigeſcentis.* In *Mercavae expoſitione Poſt. VI. p. 227.* Plurimi vero Cabbaliſtarum in eo conſentire videntur, quod quatuor iſti mundi nihil aliud, quam *certos rerum divinarum, ſpiritualium et corporearum ordines et claſſes* denotent, ex quibus univerſum hoc conflatum compoſitumque ſit. Scilicet primus mundus, ſive *Azilutbicus* contineat *res divinas*, ipſa divina attributa et emanationes; ſecundus atque tertius mundus, *Briathicus* ſcilicet et *Ieziratbicus*, ſit *claſſis ſubſtantiarum ſpiritualium*, animarum humanarum atque Angelorum: quartus autem ſive *Aſiathicus* ſit mundus corporeus, ſive *claſſis rerum corporearum* et viſibilium. Quod non obſcure nos docet R. Abraham Cohen Irira *in Porta Coelorum Diſſ. V. C. VII. p. 76.* Approbat etiam hanc explicationem Autor *Obſerv. I. T. I. de Origin. Phil. Myſt. p. 22, 23.* Sed quicquid tandem ſint, et quocunque etiam modo explicentur iſti mundi, nihil aliud ſunt, quam figmenta Cabbaliſtarum, quae neque in Scriptura, neque in Philoſophia ſobria recipiuntur et approbantur. Et tametſi Autor Obſervationum vehementer in illos invehitur, et vel ignorantiae, vel privati odii eosdem accuſat, qui hoſce mundos reiiciant, et, ceu commenta ludicra Ebraeorum, explodant; tamen res ipſa loquitur, quod in iudicio hoc ferendo plus iuſto ſibi indulgeat, et ex nimio erga Cabbalam amore ita opinetur; quod eo magis clarum evadet, ſi ſpeciatim illos conſiderabimus.

§. XXXV. Primum itaque expendamus mundum *Azilutbicum*, qui ex mente Cabbaliſtarum nihil aliud eſt, quam *Syſtema emanationum*, ſive *locus Sephirarum, Perſonarum et luminum*, quae ab אין סוף ſive infinita illa et immenſa luce primum emanarunt. Hinc dicitur *Emanativus*, quae appellatio cum ipſa vocis ſignificatione convenit. Nam אצל notat *emanare*, quemadmodum nomen מאציל *principium emittens*, ſeu *emanativum*, et vox נאציל *emanans*, ab hac origine proficiſcuntur, et eandem ſignificationem tenent. Referunt ergo ad hunc mundum *decem Sephiroth*, quae illis definiuntur per lumina, ſive radios ex luce primigenia prodeuntes, ſive ex *Adam Kadmon* emanantes, qui ſe ſe diffundunt per omnes hoſce mundos, ita, ut in quovis orbe reperiantur, licet lumine quaſi diminuto. Hinc Sephiroth mox vocantur *Azilutbicae*, mox *Briathicae*, modo *Ieziratbicae*,

 modo

Digitized by Google

modo *Aſiathicae.* Aziluthicae Sephiroth proxime et immediate ex eſſentia τῶ *Aenſoph* fluunt, et cum radice ſua quam perfectiſſima unitate unitae ſunt. Decem autem illae, quae in *Briah*, ſunt ramoſitates emanantes ex decem ſuperioribus Sephiroth, atque reſplendentes intra thronum gloriae, inde Sephiroth Briathicae vocantur. Rami autem protenſi a decem gradibus Briathicis ad mundum Iezirathicum, appellantur decem Sephiroth Iezirathicae: Et quia lux occulta a mundo Iezirathico profluens protenditur in mundum Aſiathicum usque, hinc iſti decem Sephiroth Aſiathicae *Corticum* nomine inſigniuntur. Illas vero ſub nominibus quoque et figuris perſonarum divinarum repraeſentant. Prima dicitur *Attik Iomim*, id eſt, *antiquus dierum*; Secunda vocatur *Arich Anpin*, item *Macroproſopus*, ſeu longus facie, et eſt ex Sephiroth prima, *Kether.* Tertia אבה *Pater ſupernus*, qui eſt altera Sephirah, *Chochmah*, ſive ſapientia. Quarta, אמה, id eſt *mater ſuperna*, eſtque *Binah.* Quinta eſt זעיר ענפין *Seir Anpin*, id eſt, *Microproſopus*, et hic continet ſex illas Sephiroth, quae ſunt *Cheſed, Gebhurah, Tiphereth, Nezach, Hod, Ieſod.* Sexta, *Uxor Seir Anpin*, eſtque illa lux, quae dicitur *Malchuth.* Vid. *Cabb. Denud. T. I. P. IV. p. 243. ſeqq.* Hae vero perſonae, perinde ut Sephiroth, deprehenduntur in ſingulis mundis, et tantum a ſe invicem differunt, quantum Sephiroth Aziluthicae, Briathicae, Iezirathicae et Aſiathicae a ſe invicem diſtingvuntur.

§. XXXVI. Non digna haec tam craſſa figmenta refutatione iudicamus, cum e diametro Scripturae repugnent. Mirum itaque eſt, modernos Cabbalae interpretes in eo laborare, ut haec ſomnia cum Scripturis conciliare nitantur. Quid enim haec Numina utriusque ſexus aliud ſunt, quam idola, de quibus idololatrae affirmabant, quod genuerint omnia. Qua de cauſa Propheta Eſaias in illos invehitur, et in haec verba erumpit: *Sic dixit Iehovah, Redemtor tuus, et formator tuus ab utero; Ego Iehovah faciens omnia, expandens coelos ſolus, extendens terram a me ipſo. C. XLIV, 24.* Inquiunt, haec non craſſe, nec proprie, ſed convenienti modo accipienda eſſe, prout ſcilicet ſtylus illorum et loquendi ratio ferat, atque adeo nihil aliud illis ſignificari, quam *operationes* et *virtutes Dei*, quae ἀνθρωποπαθῶς more Scripturae per perſonas repraeſentantur. At, ne ſic quidem

ſe

ſe ex difficultatibus extricare poſſunt. Nam ingens eſt diſcrimen inter Scripturae et Cabbaliſtarum loquendi rationem cum illa non ſoleat unam virtutem, operationem, aut attributum Dei per hominem quendam repraeſentare, atque tot homines, mares et uxores fingere, quemadmodum Pſeudophiloſophia comminiſci ſolet. Et ſi per haec idola diſtinctae Dei operationes indicentur, quaero ex illis, quaenam operatio divina inſinuetur per *Attik Iomim*, quaenam per *Arich Anpin:* qualis etiam operatio per *Patrem* ſupernum et *matrem* ſupernam, item per *Seir Anpin* et *uxorem* eius intelligatur? Paganus itaque et Stoicus praeſertim error eſt, uti illud erudite demonſtravit acutiſſimus Theologus, Dn. D. Neumannus, in ſupra citata Diſſertatione §. *XXIV, p. 38.*

§. XXXVII. Tranſeo ad mundum *Briathicum*, de quo fingunt Cabbaliſtae, quod ab *Aziluthico ſine ulla tamen praecedente materia ſit productus*, unde nomen etiam בריאה ſeu *Creationis* accepit. Mundi huius incolis eſſe fabulantur *ſubſtantias ſpirituales*, easque tum animas humanas, tum angelicas. Ideo etiam hunc mundum thronum gloriae et intelligentiarum ſeparatarum vocant. *Principem* et *Directorem* huius mundi conſtituunt אדם ראשון ſive *Protoplaſtum*, quem ab אדם קדמון *Adam Kadmon* diſtinguunt. In hoc Adamo, cum conderetur, omnes mentes, Spiritus, et Pſychas paucis exceptis comprehenſas fuiſſe, R. Iiziack Lorienſis in *Tract. Pnevmatico* de *revolutionibus animarum P. I. C. I.* §. *XI. p. 245.* teſtatur. Et proinde per hunc Adamum Protoplaſtum non intelligunt perſonam unam individuam, ſed totum animarum genus, ſuis ordinibus et gradibus varie diſtinctum et ſub forma exercitus cuiusdam ab Adamo, ceu duce ſub Imperatore Meſſia per ſigna membris humanis aſſimilata gubernatum. Velut Cabbaliſtarum mentem exprimit Autor *Cabb. Denud. T. II. P. I.* Vtut ergo ſubtiliter ſatis Cabbaliſtae diſputent, et commentis ſuis fucum aliquem faciant; ſtolida tamen et inſana haec ſunt mentis figmenta quae per ſe corruunt. Vbinam enim locorum de *praeexiſtentia animarum*, de eiusmodi *caterva intelligentiarum*, de eiusmodi *duce et directore* Scriptura S. vel literam nobis revelavit? Et cur in myſteriis divinis ſapiunt illi *ultra id, quod ſcriptum eſt 1. Cor. IV. 6.*

§. XXXIIX. Accedamus ad tertium Cabbaliſtarum mundum *Iezirathicum*, id eſt *Formativum*, qui poſt Briathicum dicitur formatus, et inferioris conditionis eſt, quippe qui *creatus quidem eſt ex nihilo, et ſine praecedente ſubiecto et ſubſtantia, ſed tamen creatus eſt in ſubſtantia et in ſubiecto.* Quorum verborum ſenſus hic eſt: quod Angeli primum conditi ſint ſine materia praecedente, ſed tamen, cum deinceps magis proni fuerint ad materiam et ex Briathico delapſi, creati ſint in ſubſtantia et ſubiecto. Incolae itaque huius mundi ſunt Angeli, quos in *bonos* et *malos* diſtingvunt. Bonorum Angelorum ſtatuunt *decem ordines*, ſeu *choros*, ſive *turmas*, quae hoc ordine communiter ab illis enumerari ſolent: 1. חיות *animalia*, alii vocant *animantia ſanctitatis.* 2. אופנים *rotae* 3 אראלים *Arelim*, virtute et fortitudine pollentes. 4. חשמלים *flammae ignitae.* 5. שרפים *Seraphim.* 6. מלכים *Nuntii.* 7. אלהים *Dii*, בני אלהים *Filii Dei.* 9. כרובים *Cherubim.* 10. אישים *Viri.* Vid. R. Abrah. Cohen Irira in *Pnevmatica Cabbaliſtica T. II. Cabb. Denud. P. III. Diſſ. II. C. VI.* Reuchl. *in Cabb. L. III. p. 604.* Principem autem Angelorum iſtorum, ſeu directorem orbis Iezirathici *Metratronem* conſtituunt, docente R. Moſe Corduero *Sect. XVI. C. I.* quem vide in *Cabb. Denud. P. II. T. I.* Similiter malorum quoque Angelorum, qui קליפין *Cortices* appellantur, decem eſſe diſpoſitiones et gradus garriunt, quorum nomina ſunt (1) תומיאל *Tumiel*, quaſi geminus Dei, vel כתריאל *Cathariel*, quaſi corona Dei. (2) עוגיאל *Ogiel*, unde *Og*, Rex Baſan ortus. (3) סתריאל *Satriel*, quaſi occultatio Dei. (4) געשכלה *Gaaſchcola*, quaſi concutiens omnia. (5) גולהב *Golhabb*, quaſi flammans. (6) תגרירון *Tagriron*, i. e. litigium. (7) ערב זרק i. e. corvus diſpergens. (8) גמליאל *Gamliel* et נחשיאל *Nachſchiel* a ſerpente. Principem vero inter illos eſſe (9) סמאל *Samaelem*, quem vocant *praeputiatum*, et (10) לילית *Lilith*, quem vocant *ſerpentem antiquum.* Vid. R. Loriae *Tractatus Pnevmaticus.*

§. XXXIX. Haec vero quam conficta iterum ſint, quivis haud difficulter animadvertit. Nam ut de ordinibus Angelorum aliquid commemorem, unde Cabbaliſtae ſciunt, non dari plures, nec pauciores inter Angelos ordines, quam decem? Scriptura nihil certi hic

hic definit, ſed in genere ordines eſſe inter angelos tantum docet. *Col. I. 16.* Neque ex diverſis Angelorum nominibus ſuos ordines probare poſſunt, tum ſic plures, quam decem, conſtituendi eſſent. Etenim Angeli quoque vocantur *Exercitus, Luc. II, 13. Caſtra Dei, Gen. XXXII. 2. Aſtra matutina, Iob. XXXIII, 7. Vigiles coeleſtes, Dan. IV, 10.* Quae omnia in decem illis ordinibus non comprehenduntur. Qui itaque hanc Cabbaliſtarum traditionem pro tali habent, quae S. literis ſit conformis, illi videant, ne illorum numero accenſeantur, de quibusPaulus dicit: *quod ſibi in humilitate et cultu Angelorum placeant, in ea, quae non viderunt, irruentes, fruſtra inflati mente carnis ſuae. Col. II, 18.*

§. XL. Eiusdem furfuris ſunt, quae de *natura Angelorum* docent Cabbaliſtae, nimirum, quod ſint ſpiritus, ſed corporibus ſubtilibus induti; ſive, ut R. Irira loquitur, *naturae conflatae partim e Spiritibus Briathicis, partim e corporibus Aſiathicis.* Speciatim vero gradus quosdam ratione eſſentiae inter illos agnoſcunt. Quosdam enim eſſe *igneos*, illosque ſupremos eſſe contendunt: alios eſſe *aëreos*, compoſitos ex puriſſimo et tenuiſſimo aëre: alios deinde eſſe compoſitos ex *aëre fuſco et denſo*, et illos eſſe infimos, qui in aere craſſo, humido et obſcuro degunt, et impuri, ſive mali Spiritus dicuntur. Vt idem R. Abrah. Cohen Irira in *Pnevmatica Cabbaliſtica Diſſ. I. C. V.* docet. Nam finge Spiritum, qui tamen ſimul ſit corporeus in eſſentia, nonne ipſa eſſentia Spiritus tollitur? Finge etiam corpus ſubtiliſſimum, et tamen corpus erit. Scriptura nihil novit de eiusmodi Spiritibus, qui ſimul corporei ſunt. Appellat enim illos *πνεύματα Spiritus Ebr. I, 14.* Spiritus autem *neque carnem, neque oſſa habet*, i. e. non eſt corporeus, ſecundum ipſius Servatoris effatum *Luc. XXIV, 39.* Nuſpiam etiam in Scripturis de Angelis bonis aſſeritur, quod ſint locati ſuper et in corpora firmamenti ſummi, et ſupra et in corpora coeleſtia ignea atque aërea, ſed quod ſint in πȣ beatorum, ſemperque intueantur faciem patris coeleſtis *Matt. XIIX, 14.*

§. XLI. Mirum autem dictu eſt, quantopere Autor *Introd. ad Hiſt. Ebr. p. 348.* hic fluctuet, utrum haec doctrina ſit conformis veteri et genuinae Cabbalae, quam fingit, an vero a Platonicis hauſta et in Philoſophiam Ebraeorum fuerit inducta? Tandem vero collatis ſententiis, Scepticorum more, nihil certi hic definiendum putat, ſed

ſed aliorum iudicio id permittendum. Quaſi vero in argumento tam claro et per omnem antiquitatem evicto ſuſpendendum iudicium ſit, et de Angelorum ſpiritualitate dubitandum? Imo ne a locis quidem pervetendis ſibi temperat. Nam contorta eſt expoſitio et clariſſimi textus perverſio, cum Regii vatis verba, *Pſ. CIV, 4. Deus Angelos ſuos facit Spiritus et miniſtros ſuos flammam ignis*, ita interpretatur: *quod Deus tum aëreis, tum igneis ſpiritibus, ſeu Angelis utatur.* Annon hoc ipſo dixit Hieropſaltes: Angelos eſſe vel aereos vel corporeos? Ecquis ex Chriſtianis interpretibus eo temeritatis prolapſus eſt, ut hinc Spiritus corporeos nobis exſculpſerit? Annon interpres omni exceptione maior ipſe Apoſtolus eſt, qui ad *Ebraeos I. 7.* perſpicue hunc locum de natura Angelorum exponit, cum illos appellat *πνεύματα*, cui expoſitioni plus fidei habendum, quam Iudaeis et omnibus Iudaizantibus. Neque hic de igneis quibusdam ſpiritibus eſt ſermo, ſed Vates divinus ſignificare vult, eos eſſe Spiritus ſubtiles et coeleſti claritate exornatos. Hanc enim ob cauſam *flammis* comparantur, et alibi *Seraphim*, id eſt, lucentes, nec non *Angeli lucis 2. Cor. XI, 14.* nuncupantur. Alter locus *Eph. II, 2.* pariter nihil probat. Cum enim Apoſtolus Diabolum appellat *ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος principem poteſtatis aëris*: nihil aliud inſinuat, quam quod Diabolus poteſtatem ſuam exerceat in aëre, et dominium ibi habeat; non vero dicitur, quod *eius natura ſit ex aëre compoſita*; Vt idem Autor contendit, et Grotii inprimis verbis pugnat. Sed quis neſcit Grotium Iudaizare? Si vero noſtrates ipſi interpretes ſordent; hoc ipſo, ſe cum Iudaeis et Iudaizentibus facere, plus ſatis prodit.

§. XLII. Sed propero ad quartum mundum, qui dicitur *Aſiathicus*, id eſt *Factivus*, et eſt mundus corporeus, ſive *claſſis rerum corporearum et viſibilium*, uti prolixe eum deſcribit R. Abraham Cohen Irira *in Porta coelorum, Diſſ. V. C. VIII. §. 5.* Quatuor autem rerum genera in mundo hoc ſublunari conſtituunt, nempe *Silens*, ſeu inanimatum, ut ſunt pulvis terrae, lapides; *Vegetabile*, ut ſunt arbores et plantae; *Vivens* ſeu animal; *et Loquens* ſeu homo; In quibus omnibus, ne *ſilentibus* quidem exceptis, vita quaedam, et natura ſpiritualis ſit, quamvis gradus inter illa dentur. Vita enim *vegetabilium* ſublimior ſit vita *ſilentium*: Porro *viventium* adhuc ſublimior: homi-

Digitized by Google

hominum autem, ſive *loquentium*, vita ſumma ſit omnium. Ita mentem Cabbaliſtarum exprimit R. Iizchak Loria in *Tract. de Revol. animarum P. IV. 2, 3.* De cetero, multa fabulantur de *univerſali Spiritu mundi*, quem *Sandalphonem* vocant, qui ſtet in terra, eiusque caput pertingat inter animalia iſta, ut R. Salomo Iarchi *ad Ezech. I. 15.* eum deſcribit. Suffragatur ei Autor Cabbalae Denudatae in *amica Reſponſione Conſid. II. in Cap. III. p. 97. T. I. P. II.* qui et Spiritum naturae ſub nomine *Sandalphon* in Aſiah commorari profitetur. Huic et Henr. Morus accedit in *Mercavae expoſitione, Poſtul. IV.* Equidem, ſi per hunc Spiritum intelligeretur aether, qui eſt corpus ſimpliciſſimum, fluidiſſimum et elaſticum, a Deo primitus ex nihilo productum, et per univerſum mundum, omniaque corpora, tanquam primum et univerſale eorum movens, diſtributum, nihil abſurdi haec ſententia in ſe contineret; at, cum ſpiritualis eum eſſentiae eſſe velint, imo pro ipſa eſſentia divina, licet aliquantum modificata, venditare ſoleant, ſatis exinde apparet, quam plenum opus aleae ſit. Fallunt inſuper et falluntur, qui per רוח אלהים *Spiritum Dei Gen. I. 2.* incubantem ſuper aquis, hunc Sandalphonem, ſive Spiritum mundi, intellectum eſſe volunt, cum ibi nihil aliud, quam *Spiritus S.* intelligatur. Videatur prae ceteris ὁ πάνυ Calovius in *Bibliis Illuſtratis h. l.* Auguſtus Varenius in *Comment. in Geneſ. h. l.*

§. XLIII. Denique, quid eſt Cabbaliſtis *mundus Aenſophicus?* Hic illis nihil aliud eſt, quam ipſa lux infinita et immenſa, quam ſic deſcribit R. Iizchak Loria in *Tract. I. Lib. Druſchim C. II. p. 32. Scito, quod, antequam emanarent emanantia, et creata eſſent creata, lux ſuprema extenſa fuerit pleniſſime, et impleverit omne ubi, adeo ut nullus daretur locus vacuus in notione lucis, nullumque ſpatium inane, ſed omnia eſſent plena luce illa infiniti, hoc modo extenſa, cui ſub omni notione ſua finis non erit, eo quod nihil eſſet, niſi extenſa illa lux, quae una quadam et ſingulari aequalitate ubique ſibi erat aequalis, atque iſta vocatur Or Haenſoph, lux infiniti.* Haec forte quandam veritatis ſpeciem prae ſe ferunt, cum etiam Scriptura Deum appellitet lucem. Verum qui haec talia penſiculatius rimatus fuerit, ſub his involucris non niſi apertam impoſturam latere reperiet, ut iam ſupra de Deo §. *III.* monuimus. Relinquimus igitur hoc mundorum phantaſma impoſtoribus, qui alio-

qui pro Iunone nubem, pro veritate mendacia fraudesque ut plurimum ampleſtuntur.

§. XLIV. Nunc ordo poſtulare videtur, ut etiam quaedam de *ordine et modo productionis*, quomodo mundus poſt alterum ab אין סוף conditus fuerit, in medium afferam. At ſummatim ea perſequar, nec niſi potiora ſaltem breviſſimis adumbrabo. Scilicet, hoc ordine, aſſerunt, omnia eſſe emanata, creata, formata et facta. (α) Cum Aenſoph mundum condere conſtituerit, tum illud ſeſe contraxiſſe, et lucem ſuam quadantenus compreſſiſſe, ut aliquod vacuum et ſpatium inane, idemque circularis formae, in medio reliquerit. (β) Illud Aenſoph ſive *infinitum*, lineam quandam e luce concavi ſui derivaſſe, atque demiſiſſe intra ſpatium modo dictum, et hac mediante, tanquam canali tenuiſſima, lucem iſtam infiniti ita influxiſſe, ut emanatione produxerit, creaverit, formaverit atque fecerit omnes mundos. (γ) Primo vero omnium in iſto ſpatio productum eſſe *Adam Kadmon*, quem duplici modo manifeſtatum eſſe, primum per modum *decem Sephirarum homocentricarum*, quae ab illa linea ita formatae ſint, deinde, per modum *Sephirarum ſub forma rectilinea* ad inſtar hominis creati, conſtantis 248. membris. Cum enim linea haec ab Aenſoph intra vacuum illud intromitteretur, per modum rectilineae primo, fingunt, eam decurriſſe, mox autem deflexiſſe ad figuram circularem, orbemque illico conſtituiſſe, circumcirca tenuem, et ita per vices fuiſſe circumgyratam usque ad circulum decimum, quem *Regni* circulum vocant. Deinde autem lineam illam ſimul etiam via recta deorſum perrexiſſe per medios illos circulos omnes, et ſub ſpecie linearum atque figura hominis erecti emanaſſe, quae ab illis appellatur *Adam Kadmon*. (δ) Per hunc Adamum Kadmonem cetera omnia eſſe producta *emanantia, creata, formata* et *facta*, quae primum ſubſtiterint in naturis ſuis ſolitariis, cum vero partim propter abundantiam lucis non potuerint ſubſiſtere, de ſuo ſtatu in ſtatum corruptionis deſcendiſſe. (ε) Cum itaque omnia ſic diruta eſſent, et Senex Sanctiſſimus videret, quod omnia non poſſent ſubſiſtere in naturis ſuis ſolitariis, reſtaurationem inſtituiſſe, et omnia conformaſſe, per modum *Bilancis*, ſive per modum maris et foeminae. Hinc primo reſtitutum eſſe Syſtema emanativum conformatione

facta

Digitized by Google

facta Senioris ſanctiſſimi. Hinc *primam* prodiiſſe *Bilancem*, quae vocatur *Macroproſopus*, ſive *Arich Anpin*, cuius perſona conſtet ex *patre* חכמה ſive *Sapientia* dicto, et *matre* בינה ſive *intelligentia*; deinde *alteram* prodiiſſe *Bilancem*, quae appellatur *Seir Anpin*, ſive *Microproſopus*, cuius mater ſit מלכות ſive *regnum*. (ζ) Conformatione autem facta τῷ *Arich Anpin* et *Seir Anpin*, cetera deinde Syſtemata eſſe conformata, et quidem primo reſtitutum eſſe mundum creativum, poſtmodum formativum, et denique factivum, quorum conformationem ordine ſi exponere vellem, longum nimis eſſet ac taedioſum. Legatur R. Iizchac Loria in *Tract. I. Lib. Druſchim.* Moſes divinus Hiſtoricus aliter nobis deſcribit ordinem productionis rerum, cui plus fidei eſt habendum, quam centum Cabbaliſtis.

§. XLV. De *Fine* itaque huius productionis pauca adhuc commemorabo. Nimirum ſtatuunt Cabbaliſtae; mundos ideo creatos fuiſſe, ut Deus perfectus fieri poſſet in facultatibus ſuis, operibus et nominibus magnificentiae, ut ſunt *Iehovah* et *Adonai.* Sic R. Iizchak Lorienſis *Tract. I. Lib. Druſchim C. I.* illud innuit. *Duas*, ait, *hic proponemus Quaeſtiones, circa quas admodum defatigantur Cabbaliſtae; quarum primam ſaepius tractarunt ſapientes priores et poſteriores; nimirum quam ob cauſam creati ſint mundi et quare fuerint neceſſarii? Re autem accurate diſcuſſa, cauſa inventa eſt haec, quod Deus laudatiſſimus debuerit eſſe perfectus, in omnibus operibus et nominibus magnificentiae, celſitudinis et gloriae ſuae. Niſi enim opera ſua e potentiis ipſo actu produxiſſet, non potuiſſet dici perfectus, ſive quoad opera, ſive quoad nomina et cognomina ſua.* Sed abſurdam hanc eſſe ſententiam olfecit Henr. Morus, qui accurate illam refutavit in *Conſiderationibus ad Tractatum primum Cap. I. Lib. Druſchim. Durum*, inquit, *mibi videtur, ut Deus minus perfectus ante creationem mundi exiſtimetur, quam poſtea. Quippe quod, cum mundus ab aeterno non ſit creatus, cumque aeternitas fuiſſet, ſi ita fas ſit loqui, antequam ullus mundus conditus eſſet, tam diu Deus futurus fuiſſet imperfectus, quod valde videtur abſurdum.* Item: *Ceterum, ut Deus mundum crearet, poſt ſtatum ſuum, ſive conditionem illis nominibus Iehovah et Adonai adaptaret, magis adbuc videtur, magisque mirandum Paradoxon, quaſi illa nomina haberet ante mundi creationem, cum nemo erat, qui eum illis nominibus appellaret.* Obvertit quidem nonnulla Chriſt. Knorr in amica reſponſione ad Henr. Morum, quae vero ad

rhombum non faciunt, nec adeo peculiarem refutationem merentur.

DE
PROVIDENTIA DEI.

§. XLVI.

CReationem excipit *Providentia divina*, per quam haec univerſa a Deo regi et ſuſtentari uno ore Iudaei confitentur, cum in Symbolo ſuo et quidem Articulo *I.* et *X.* publice Deum depraedicant, quod ſit מנהיג id eſt, *huius univerſi Gubernator.* Quam fidei confeſſionem *Liber Sohar* multo copioſius tradit, licet aenigmatice. Repraeſentant enim ibidem providentiam divinam Cabbaliſtae per *oculum hominis*, qui neque palpebris, neque ſupercilio conſpicitur veſtitus, ad innuendum, quod Deus nunquam dormiat, ſecundum effatum illud Hieropſaltae *Pſ. CXXI, 4. Ecce non dormitat, nec dormit cuſtos Iſraelis*; ſed quod exactam omnium rerum habeat cuſtodiam, et omnia accurate perluſtret, quaecunque mundus hic ſinu ſuo comprehendat. Et hanc oculi divini *παντοψίαν Idra Rabba* ſeu *Synodus Magna* ſic effert: ותאנא לא סתים האי עינא ואינן תרין ומתחוורין (סא: ואתחזרו) לחרי כלא הוא ימינא לא הוה שמאלא לא נאים ולא ארמיך ולא בעי נטירותא לית מאן דאגין עליה הוא אגין על כלא ומאשגחותא דהאי עינא מתקנן כלהו. *Et didicimus; non occluſus eſt oculus hic: et ſunt duo et dealbantur* (al. convertuntur) *in unum. Totus eſt dexter: non eſt* (*ibi*) *ſiniſtrum: non dormitat; et non obdormiſcit; et non cupit cuſtodiam; non eſt quicquam, quod defendat eum deſuper; ipſe defendit omnia, et ipſe attendit ad omnia et ex inſpectione huius oculi conſtituuntur* (al. nutriuntur) *omnia. Sectione IX. de oculis Macroproſopi §. 134, et 135.* et *§. ſequenti* dicitur: תאנא איעינא רא אסתים רגעא חרא לא יכלין לקיימא כלהו. *Didicimus. Si oculus iſte claudatur uno momento, non poterit ſubſiſtere quicquam.*

§. XLVII. Soli Deo Providentiam hanc competere, Iudaei Cabbaliſtae ſimiliter largiuntur. At vero Deum triunum eſſe, qui haec omnia conſervet, *παράδοξον*, imo abſurdum illis videtur aſſertum, uti in Capite de Deo, ſatis, ut opinor, eſt demonſtratum. Nec hoc negant, quod ad omnes res creatas, maximas et minimas, Providentia

dentia Dei ſe ſe extendat. Quo pertinet tritum illud inter Iudaeos effatum Talmudicum: Deus יושב וזן את כל העולם כולו מקרני ראמי׳ עד ביצי כנים *ſedet et ſuſtentat totum mundum, a cornibus unicornium usque ad ova pediculorum.* Inſuper quoque actiones hominum omnes, tam bonas, quam malas, Providentiae Dei ſpeciali ſubiiciunt. Nonnulli tamen Cabbaliſtarum eo dementiae procedunt, ut Deum malarum actionum autorem conſtituant. Quando enim de origine mali diſquirunt, unde malum ortum ſit; tunc omnem culpam in Deum refundunt, quod perfectiori modo res primum conditas non produxerit, ut infra accuratius demonſtrabimus, quando de peccato nobis erit ſermo.

§. XLIIX. Quae denique de forma Providentiae dicunt, illa quoque cum Chriſtianorum doctrinis convenire videntur, dum his actibus illam abſolvi ſtatuunt, 1) *Conſervatione*, 2) *Concurſu*, 3) *Gubernatione*. Et imprimis de *Concurſu*, quod Deus omnibus rebus influat, ita Cabbaliſtae docet, cum de Seniore ſanctiſſimo, quem ſymbolice deſcribunt, loquuntur, quod a barba eius pendeat influentia, et ab hac vita omnium creaturarum בדיקנא דעתיקא קדישא תלייא כל יקירו דכלא׳ מזלא דכלא אקרי מההוא דיקנא מזלא יקירותא דכל יקירן מזלי עלאי ותתאי כלהו משגיחן לההוא מזלא׳ בהאי מזלא תלייא חיי דכלא׳ בהאי מזלא אשגחותא דכלא בהאי מזלא תליין כל חיילין עלאין ותתאין *A barba Senioris Sanctiſſimi pendet omnis ornatus omnium: et influentia; nam omnia appellantur ab illa barba, influentia. Hic eſt ornatus omnium ornatuum: influentiae ſuperiores et inferiores omnes reſpiciunt iſtam influentiam. Ab iſta influentia dependet vita omnium. Ab hac influentia dependent coeli et terra; pluviae beneplacitae; et alimenta omnium. Ab hac influentia venit providentia omnium. Ab hac influentia dependent omnes exercitus ſuperiores et inferiores.* Quae plane conveniunt cum noſtris doctrinis.

§. XLIX. Ceterum haec, quomodocunque dicta ſint, nihilo tamen minus quaedam apud illos deprehendes, quae cum his doctrinis pugnant, et ad minimum illud evincunt, Cabbaliſtas ſibi ipſis non bene conſtare. Etenim alibi ſtatuunt, quod Deus immediate haec inferiora non conſervet ac dirigat, ſed quod per Angelos, tan-

quam legatos, regimen illud exerceat, imprimis per *Metatronem*, quem directorem et conſervatorem mundi Iezirathici ficti a Deo conſtitutum credunt. Videri hoc ſatis aperte poteſt ex R. Moſe Korduero. *Poſt thronum hunc*, inquit, *formavit etiam turmas Angelorum, qui inſigniuntur nomine Metatronis, quoniam Metatron Angelus Princeps faciei ipſarum eſt praefectus, ſingulis panem tribuens, conſtitutum, influentiamque ſuam atque vitam, ita ut omnes ab ipſo ſua hauriant. Iſte igitur inter Angelos eſt inſtar cordis in corpore, quod ſedes eſt vitae, unde vitam ſuam omnia hauriunt membra.* Sectione *XVI. C. I.* Similiter Spiritum quendam naturae agnoſcunt, quem *Sandalphonem* vocant, et directorem mundi Aſiathici eſſe fabulantur. Vid. Lex. Cabbal. *T. I. Cabb. Denud. P. I. p. 605.* addatur Henr. Morus in *Expoſ. Mercavae Poſt. IV.*

§. L. Vlterius quoque *concurſum Dei immediatum* pariter inficiantur, dicentes omnia ab aſtrorum influentia dependere, teſte Menaſſe Ben Iſrael, qui ex ſententia Ebraeorum, corpora, aſſerit, inferiora operari per virtutem coeleſtium, ac nullam eſſe herbam hic infra, quae non habeat מזל *Maſſal*, id eſt, *ſidus ſupra, in Tract, de termino vitae p. 9.* Quo cum facit aquila Cabbaliſtarum, R. Iizchak Loria, dicendo, *nihil in mundo eſt, ne quidem inter ſilentia, v. g. pulverem terrae atque lapidem, cui non ſit vita quaedam, et natura ſpiritualis, eique planeta ſuus, atque praefectus in ſupernis. Quod niſi foret, terra non produceret ſemina atque gramina. In Tract. de Revol. anim. P. IV. C. I. §. 2.* Hinc etiam ipſis enatum eſt *πολυθρύλλητον* illud הכל תליו במזלה *omnia pendere ab aſtris.* Quibus ſic ſe ſe habentibus, liquet, eos non plane alienos eſſe a veterum Stoicorum ſententia, dum *fatum* aliquod *aſtrale* tuentur, caſuque multa fieri et exiſtere ſibi perſvadent. Si enim ſtellae operentur per virtutem coeleſtem in haec corpora inferiora, corporumque actiones a ſtellarum poſitu dependeant, quid aliud exinde conſequitur, quam fatum aliquod, abſolutaque et inevitabilis neceſſitas, ac dura fataliſque coactio, quae omnem in humanis liberum arbitrium contingentiamque tollit. Et ſi quis de eo dubitare adhuc vellet, certior ille fieri poteſt, ſi conſideret illam hypotheſin Cabbaliſticam, quam de *Alphabeto coeleſti* effinxerunt. Nimirum fabulantur, ſtellas poſitu ſuo certos characteres conſtituere, ex quibus mutationes rerum et alia, quae in terris eventura ſint, poſſent dignoſci.

gnoſci. Hinc firmamentum expanſum nihil aliud illis eſt, quam liber ſtellis, veluti literis, inſignitus, ex quarum congrua combinatione omnium ſeculorum eventus hominumque decreta inſcripta legantur. Quo de legi meretur Thomas Bangius, qui prolixe et operoſe hanc ſententiam confutavit in *Coelo Orientis Exerc. II. p. 135.* Conf. M. Greg. Michaëlis Praep. Regii Flensburg. *Notae ad Iac. Gaffarelli Curioſitates inauditas. Not. 36. p. 290.* Neque ab hac ſententia plane alieni ſunt Cabbaliſtici Doctores moderni, inter quos familiam hac in parte ducit Henr. Morus, qui *revolutiones animarum quarundam fatales eſſe*, contendit, et figmento craſſo adhuc aliud figmentum craſſius addit. *Poſtulat. IIX. et X.* in *Expoſitione Mercavae.* Plura, quidem, non diffiteor, afferri, et ex Cabbaliſtarum ſcriptis erui potuiſſent, ſi prolixiori mihi eſſe licuiſſet. Sed, quoniam ingens illa rerum copia me inopem ferme reddidit, omnia Cabbaliſtarum fim... perquirere, aut ad calculum in praeſenti ſingula revocare ſuperſedeo.

PARS SECVNDA.

DE

ANTHROPOLOGIA.

SIVE

HOMINE,

THEOLOGIAE CABBALISTICAE SVBIECTO: ET QVIDEM

DE

EIVS INTEGRITATIS STATV.

§. I.

NVnc alteram Theologiae Cabbaliſticae Partem, quae Subiectum illius ſiſtit, *hominem* ſcilicet *peccatorem ad Deum reducendum*, pari ratione, eaque Synoptica plane, exhibeamus. Quemadmodum autem vera Theologia hominem ſecundum ſtatum *Integritatis*, *Corruptionis*,

ptionis, et *Reſtaurationis* conſiderat; ſic, quaecunque Cabbaliſtae de homine docent, ad hos tres ſtatus commode poſſunt reduci.

§. II. Quod itaque *Statum Creationis* et *Integritatis* concernit, de hoc varia variorum Cabbaliſtarum leguntur commenta, quorum non poſtremum eſt, *Adamum a Deo ἀνδρόγυνον creatum*, et ſic utrumque par a tergo coniunctum fuiſſe, donec illud Deus ſerra quaſi diſſecuerit, ut faciebus invicem converſis, ſeſe intueri poſſent, referente id R. Loria, *Tract. de Revolut. animar. P. I. C. VII. §. 2.* Communis haec Iudaeorum fabula eſt. Sic in *Bereſchith Rabba Sect. IIX.* אמר רבי ירמיה בן אליעזר בשעה שברא הק״בה את אדם הראשון אנטרגינוס בראו *Dixit R. Ieremia, Filius Elieſer, ea hora, qua Deus creavit primum hominem, Androgynum creavit eum.* Eodem modo in *Medraſch Tillim* ad *Pſ. CXXXI*[illegible] נברא אנדרוגינוס אר׳ אלעזר *Dixit R. Elieſer, quod homo Androgynus ſit creatus.* Sic etiam ſcribit Aben Eſra: ואדם נברא בתחלה בשני פרצופין והני אחד וגם הוא שנים *Adam in Principio creatus eſt duobus vultibus, et ita fuit unus pariter atque etiam duo.* Neque haec myſtice intelligunt et *ἀλληγορικῶς*, ut nonnulli eorum verba interpretantur; quaſi Adam et Eva unum corpus fuerint *politice* et in *genere morum*, propter mutuum, qui eos ligavit, amorem. Dicunt enim, *Evam a latere Adami fuiſſe abſciſſam:* item, *hominem creatum eſſe duobus vultibus.* Quo etiam verba *Pſ. CXXXIX, 5.* trahunt: *ante et retro formaſti me*, ut nihil opus ſit, pluribus Magiſtrorum teſtimoniis.

§. III. De partibus Adami ſimilia tradunt, quae cum veritate divina et recta ratione pugnant. Nam corpus *ratione eſſentiae* fuiſſe *ſpirituale* contendunt, eiusque ſplendorem etiam maiorem fuiſſe, quam omnium Angelorum ſupernorum. Quod R. Loria his verbis exprimit: *Non tantum*, inquiens, *caput eius fuit de mundo creativo, ſed et corpus eius fuit de mundo formativo, qui vocatur mundus Angelorum; et quoniam mundus formativus tunc temporis longe ſublimior erat eo loco, ubi nunc eſt, hinc patet, quod corpus eius ſplendidius fuerit, quam omnes iſti angeli, quamvis etiam ſint de mundo formativo.* Vid. *Tractatus de Revol. anim. C. XIIX. §. 12.* Idem in *Sohar Sect. Kedoſchim fol. 83. col. 1. in Tract. Racha Mehimna*, docetur: *corpus Adami Protoplaſti, quamvis de pulvere fuit, non tamen fuit de pulvere terreno, ſed de pulvere*

pulvere templi ſuperni. R. Schem Tobh, in *lib. Haëmunoth fol. 68.* tradit, Adamum non creatum fuiſſe *ſecundum formam et diſpoſitionem ordinariam*, ſed extitiſſe בריאה רכה עד מער וזכה קריב לגויה רוחנית *creaturam ſubtiliſſimam et puriſſimam proxime accedentem ad corpus ſpirituale.* Corpus Adami quale fuerit, expreſſe quidem in Scriptura non memoratur, intelligi tamen quodammodo ex eo poteſt, quando Moſes aſſerit, *Deum hominem formaſſe pulverem de terra. Gen. II,* 7. Ita, ut eius corpus, ratione ſubſtantiae, materiale, non vero ſimul ſpiritualis et Angelicae eſſentiae extiterit.

§. IV. Ratione vero *formae externae* immanem et plus quam Giganteam proceritatem eidem tribuunt, aſſerentes, ſtaturam eius tam proceram fuiſſe, ut *ab uno mundi extremo usque ad alterum pertinuerit*; quo de videatur R. Loria *l. c. Cap. VII. §. 15. item Cap. XIV. §. 28.* Fluit fabula ex errore de *praeexiſtentia animarum.* Namque aſſerunt, Adamum omnes animas complexum eſſe, atque adeo non mirum eſt, quod figmenta figmentis augeant, et tam ingentem ſtaturam corpori eius aſſignent. D. Maius illud trahit ad Adami cognitionem, quod eius cognitio tanta fuerit, ut etiam ad omnes mundos i. e. res ſe ſe extenderit, in *Synopſi Theologiae Iudaicae Veteris et Novae Loc. V. de Homine §. V. p. 92.* Sed vereor, ut haec interpretatio menti Cabbaliſtarum conveniat.

§. V. Similem in modum de *anima Adami* multa inania et abſurda profitentur. Et quod primum eſt, communis Cabbaliſtarum opinio eſt, *omnes animas Adamum continuiſſe*, quotquot in homines deſcendunt, paucis exceptis, quae ſunt myſterium animarum novarum, ut Cabbaliſtae loquuntur. Ita idem Loria docet: *Antequam peccaret Adam protoplaſtes in ipſo erant Pſyche, Spiritus et Mens, de mundo Factivo, Formativo et Creativo: Nec non Pſyche, Spiritus et Mens de regno, Microproſopo, et Matre intelligendi Mundi Emanationis: et ipſe continebat omnes animas, paucis exceptis, quae in ipſo non continebantur, quaeque ſunt myſterium animarum novarum.* In commemorato Tractatu *P. IV. C. XXXII. §. 1.* Illas vero in toto Adami corpore fuiſſe diſtributas ſtatuunt, ut aliae fuerint in capite, et aliae in oculis, ac ſic porro, usque ad pedes, ſecundum huius Magiſtri ſententiam; *cit. loc. P. IV. C. IX. §. 3.* Quae cuncta cum ſatis diſcuſſerit Hornbeekius

N Theol.

Theol. Iudaicae L. IV. C.I. p. 319. ſeqq. nihil in praeſenti addo, inprimis, quod haec omnia ἄτερ γραφῆς a Cabbaliſtis proferantur.

§. VI. Notorium commentum eſt, quod *quinque* potiſſimum *partes*, ſive *ſpecies* animae Adami aſſignent; quarum prima נפש *Nepheſch*, altera רוח *Ruach*: tertia נשמה *Neſchamah*, quarta יחיה *Iacha*, et quinta יחידה *Iechidah* appellatur. Videatur R. Iizchak Lorienſis, qui paſſim horum quinque graduum mentionem iniicit, in *Tractatu Pnevmatico de Revol. animarum.* Plerumque tamen tres tantum animae ſpecies recenſent, nempe *Nepheſch*, *Ruach* et *Neſchamah*. Atque Nepheſch vehiculum τῦ Ruach: Ruach autem vehiculum τῦ Neſchamae conſtituunt; atteſtante R. Moſe Korduero in *Tract. de anima, C. I. et II.* Quid vero per haec nomina Cabbaliſtae intelligant, de eo litigatur inter interpretes. Celebris Cabbalae Denudatae Autor mentem eorum ſic explicat: נפש eis eſſe *Spiritum vitalem*, quem recentiores vocant *Archaeum*, alii *animam vegetativam*. Spiritum, quem רוח vocant, eſſe *gradum quendam ſublimiorem*, correſpondentem *animae ſenſitivae*. Gradum tertium נשמה reſpondere *animae rationali*, ſive *menti*; Quartum gradum, quem יחה vocant, eſſe *vitalitatem quandam ſublimiorem*, ab extra homini ſupervenientem, nec intrinſecus tantum eundem penetrantem, ſed et extrinſecus ambientem. Gradum quintum eſſe *ſingularem quandam unionem et concurſum*, ſive *praeſentiam divinitatis*, ad quam pauci, excepto Meſſia, permanenter aſcenderint. *Tom. II. Cabbalae denudatae P. III. p. 247.* Verum, quamvis haec interpretatio neque inconveniens, neque a mente Cabbaliſtarum plane aliena videatur; nihilo tamen ſecius, ſi ſcripta illorum accuratius perluſtrem, dubium omnino ſuboriri poſſit, an ea menti Cabbaliſtarum reſpondeat? Nam, quod per *Nepheſch* non intelligant *Spiritum vitalem*, teſtis eſt R. Moſe Korduerus, qui in *Tractatu de anima* ex R. Ioſe commemorat, quod *duplicem* נפש Cabbaliſtae homini adſcribant, aliam *vitalem* et *naturalem*, aliam vero *divinam et ſpiritualem.* Illam eſſe animam, per quam homo vivat; hanc vero tum ipſi affluere, quando dignum in cultu divino ſe ſe praebuerit. Quam ſententiam ulterius ex Sohar multis confirmare annititur. Deinde etiam hiſce partibus animae, tanquam diverſis eſſentiis diverſa aſſignant loca, *Nepheſch* ad mundum Aſiathicum,

Ruach

Ruach ad Iezirathicum, et *Neſchamah* ad Briathicum referentes, ita, ut, non triplicem ſaltem animae rationalis facultatem hiſce ſpeciebus eos intellexiſſe, penitus mihi perſvaſum habeam. Proinde meum ſic induco in animum, unam tantum animam, *Nepheſch* dictam, Cabbaliſtas ſtatuiſſe, quae ſtatim omnibus hominibus in primo conceptionis momento conferatur; Per reliquas vero ſpecies, *Ruach, Neſchamah, Iacha*, et *Iechida* gradus diverſos illuminationis divinae inſinuaſſe, quibus homo in ſtatum perfectionis transponi, Deoque aſſimilari poſſet. Idque exinde probo, quia α) hi gradus acquiri putantur per ſtudium Legis divinae et Bonorum Operum exercitium. β) Purificationem requirunt, ſi homo graduum iſtorum particeps fieri velit, quod ſatis argumento eſt, eos nihil aliud, quam diverſos illuminandi gradus hiſce vocabulis ſignificaſſe. Accedit γ) etiam illud, quod Cabbaliſtae dicant, homines dari ſine *Ruach*, et *Neſchamah*, ſi nempe ſint impii. Ergo Ruach et Neſchamah ipſis non eadem ſunt, ac, uti nonnulli Philoſophorum loqvuntur, anima *ſenſitiva* et *rationalis*, quoniam hae in quovis homine, etſi ſit impius, reperiuntur. Inſuper *Nepheſch* dicitur vehiculum τȣ *Ruach*, et *Ruach* vehiculum τȣ *Neſchamae*, quo ipſo etiam nihil aliud indigitatur, quam quod anima de gradu in gradum illuminetur. Quicquid autem demum Cabbaliſtae per illas animae ſpecies intelligant, nobis perinde erit, cum, quaecunque etiam ſententia deligatur, falſitatem manifeſte prodat, et vel Fanaticiſmo, vel Enthuſiaſmo multum patrocinetur.

§. VII. Quamvis igitur haec paradoxa ſint, et Scripturae minus conſentanea, in eo tamen excellentiam et perfectionem Adami in ſtatu integritatis conſtitiſſe Cabbaliſtae putant. Dicunt enim α) de perfectione Adami fuiſſe, quod in illo extiterint *partes Syſtematis emanativi*, quae ſunt Pſyche, Spiritus et Mens Syſtematis illius, easdemque notione *ſplendoris ſuperni* exprimunt. β) Quod *omnes partes mundorum inferiorum, Creativi, Formativi*, et *Factivi* in ſe continuerit, id eſt, omnes animas, quae in his tribus mundis exiſtant, fuerit in ſe complexus. Et hanc ſummam Adami fuiſſe perfectionem, quam deinde per lapſum eum amiſiſſe R. Iizchak Lorienſis aliquoties iam dicto Tractatu *C. XV. §. 3.* his verbis indicavit: *Adam Protoplaſtes in ſe comprehendit omnem quoque Pſychen, Spiritum et Mentem Syſtematis emanativi, quibus tribuitur nomen Splendoris ſuperni.*

Nec non contentas in illo fuiſſe omnes partes trium mundorum inferiorum, quae vocantur ſex mille anni, ut dictum ſupra. Cum igitur peccaret, ab illo ſe ſe ſubmovebant atque avolabant omnes illae partes, quae dicuntur ſplendor ſupernus; nempe Pſyche, Spiritus et Mens de emanatione etc. De partibus autem trium mundorum inferiorum, quae dicuntur ſex mille anni, etiam quaedam ab ipſo ſubmotae ſunt, et quaedam in eo manſerunt. Sed haec iterum falſa illa hypotheſi de *praeexiſtentia animarum* nituntur. Longe aliter Scriptura perfectionem et excellentiam Adami deſcribit. Principalem in ſumma ſapientia, iuſtitia et ſanctitate collocat; minus vero principalem in impaſſibilitate et immortalitate, nec non dominio ſuper animantia ponit. Qua de re Theologi noſtrates in Syſtematibus ſunt conſulendi.

§. IIX. Ceterum quae *de Imagine hominis* docent, fabuloſa ſunt, et vix digna, quae in medium afferantur. Nam aſſerunt, imaginem hanc eſſe rem quartam, quae nec ſit *Nephеſch*, nec *Ruach*, nec *Neſchamah*, ſed magis manifeſta illis, ut R. Korduerus loquitur. Deſcribunt vero eam per *umbram*, ſive *lucem quandam ambientem*, configuratam ad modum perſonae humanae, quae homini aſſiſtat. Atque hanc eſſe imaginem, in qua primus homo procreatus ſit, *Gen. I.* nec ullum dari hominem in mundo, in quo non inveniatur haec *zelem*, ſive imago. Vid. R. M. Kordueri *Tract. de anima C. IV.* It. R. Loriae *Tract. de Revol. anim. C. XX. §. 14.*

DE
STATV LAPSVS.

§. IX.

DVplicem autem lapſum Cabbaliſtae commemorant, alium contigiſſe volunt in *Paradiſo coeleſti*, ſive mundo emanativo; alium, qui hunc inſequutus eſt, in *Paradiſo terreſtri*, ſive mundo creativo, quique *lapſus Adami* appellatur. Primum Cabbaliſtae ſymbolice deſcribunt per *mortem ſeptem Regum Edomiticorum*, de qua prolixae fabulae paſſim in libris Cabbaliſtarum habentur, imprimis in libro de *Zeniutha* hic aenigmaticus textus exhibetur: *Antequam bilanx oriretur, non reſpexit facies ad faciem, et Reges primi mortui ſunt.* Quid hoc aenigma in ſe contineat, paulo plenius explicabo. Dicunt nimirum, quod ex cranio,

cranio, oculis, naribus, naſo et ore *Adami Kadmonis* lumina varia proruperint et emicuerint, inter quae prae ceteris nominanda ſint *lumina punctata*, vel *Nakuddika, vel Nekkudim*, quae ex oculis Adami Kadmonis egredi concipiuntur. Sunt autem X. puncta iſta nihil aliud, quam X. *Sephiroth*, ex quibus tria priora accepiſſe lucem maiorem, et inde vas ipſorum factum eſſe multo excellentius; Sed ſeptem puncta inferiora, ſive Sephiroth inferiores, lucem accepiſſe minorem: ipſaque vaſa earum non ita perfecta, quam priorum fuiſſe, addunt. Quae obſcure et aenigmatice multis verbis deſcribuntur in *Lexico Cabb.* ſub *tit. Nekkudim p. 591.* Et de his vaſculis et luminibus *X. Sephirarum, ſive Numerationum* affirmatur lapſus, quamvis non eodem modo. Nam priores tres Sephiroth, nempe *Kether*, *Chochmah* et *Binah*, aiunt, non eſſe mortuas, h. e. non eſſe delapſas in aliud Syſtema mundanum, ſeu levem ſaltem corruptionem ſenſiſſe. Et quidem *Kether* ne quidem expertam eſſe *Bittul*, ſive *corruptionem*, ſed *Bacham*, *laeſionem* tantum aliqualem in ſyſtemate. Etenim vas Sephirae *Kether* non fractum eſſe, etſi aliquantillum poſt mortem inferiorum Regum, vel Sephirarum, ſit concuſſum; Duas vero Sephiras proximas, *Chochmah* et *Binah*, poſt mortem inferiorum demum *Bittul* ſeu *corruptionem* atque *perditionem* aliquam, quoad *poſteriora ſua*, ſenſiſſe, neutiquam autem mortuas eſſe, perhibent. Ex adverſo מתה *mortem* et *confractionem*, i.e. deſcenſum, ſeu tranſitum de mundo *Aziluthico* in mundum *Briathicum*, de uno ſyſtemate in aliud, adeoque ſeparationem ex ſuo mundo, vel ſyſtemate, obtigiſſe Sephiris ſequentibus omnibus, a Sephirah דעת *Daath*, quae poſt *Binah* ſequitur, usque ad infimam מלכות *Malcuth.* Septem ergo hae Sephiroth, quae extiterint in *Aziluth*, dicuntur eſſe mortuae, id eſt, deſcenderint in *Briah*, ſive mundum creativum. Nam, ſi quid deſcendit de ſtatu illo, in quo prius erat conſtitutum, id ex indole Cabbaliſtarum dicitur mortuum. Hae itaque ſeptem Sephiroth ſunt Reges iſti mortui, de quibus aenigma Cabbaliſticum ſuperius loquebatur. Fabula autem tota alludit ad hiſtoriam *Regum Edomiticorum*, quorum caſus conſignatus extat *Gen. XXXVI, 32, 33.* Ceterum de modo et ordine lapſus, quomodo ſeptem iſti Reges, vel ſeptem poſteriores *Sephiroth* corruptae ſint, multa a Cabbaliſtis narrantur, quae prolixe deducta vide in *Lexico Cabb. Denud. ſub radice* נפל.

§. X. Cauſam huius lapſus inique et peſſime ad Deum referunt. Ideo enim vaſa illa *Nakkudica*, fractioni ſubiecta fuiſſe perhibent, quia finalis intentio autoris emanationum, uti Deum vocant, haec fuerit, ut notionem corticum externorum, id eſt, principii mali produceret, ad poenas impiis irrogandas. Quamobrem etiam fabulantur, ſeptem iſtos Reges non accepiſſe quicquam de luce aurium; naſi, oris Adami anterioris, ſed tantum aliquid de corpore eius; neque debitam conformationem habuiſſe, quomodo tres priores eandem habuerint. Tantum enim ſeptem inferiores una linea, non trium linearum ordine, ſibi invicem inſtitiſſe citra ullam conformationem. Naturam autem תיקון ſeu *conformationis* legitimam in hoc potiſſimum conſtitiſſe, ut triplici ordine linearum ſibi invicem innexarum apparuerit. Vid. *Lex. Cabb. in Cabb. Den. ſub voce* נור. Quod iisdem ferme verbis effertur in *Libro Myſterii* §. *20. p. 6.* ubi huius rei haec allegatur ratio: *quia hae Sephiroth nullam habebant radicem in Sene Sanctiſſimo, nec etiam ſapientia, quae ab hoc ſene prodibat, ipſorum erat radix, et hi nullatenus illam contingebant, neque ullum habebant attactum in ſupernis, unde mortui ſunt.* Quae certe impia ſententia eſt, et Deum autorem peccati arguit.

§. XI. Conſulto iam praetereo, quicquid alii Cabbaliſtae de cauſa huius lapſus tradiderunt, cum eorum rationes aeque ſint infirmae, et plus quam anilibus fabulis ſimillimae. Itaque omiſſis his nugis de *Effectu*, qui lapſum hunc inſequutus eſt, nonnulla ſubiungam. Ab eo autem arceſſunt α) *originem materiae.* Ante lapſum enim nihil amplius fuiſſe in mundo, quam Spiritum et lucem, poſtquam vero lapſus contigit, materiam exortam eſſe, et ſpiritualem eſſentiam commixtam fuiſſe tenebris. β) Inde derivant *originem omnis mali, omniumque defectuum, qui ſunt in mundo,* et qui alias in operibus Dei locum habituri non fuiſſent. Fractis enim tot Sephiris, et concuſſa infima מלכות iam mali cauſam prodiiſſe, ut ex hoc lapſu *mali daemones* ſint prognati. Facta quippe poſt mortem tam inſigni Regum delapſorum ſegregatione, non omnia tam accurate potuiſſe ſeligi; ſed quasdam ſcintillas ſcoriis permixtas manſiſſe, unde τῶν קליפות ſive Corticum et Daemonum varia genera, quorum alii craſſiores, alii ſubtiliores, alii magis luminoſi, alii obſcuriores, fuerint orta. De quibus

quibus philoſophantem lege Knorrium a Roſenroth in *Cabbala Chriſtiana Cap. V. p. 28.* Quae vero Theologiae ſanae e diametro adverſantur. Nullibi enim dicitur in Sacris, quod materia ſit defectus, ſed omnia, quaecunque Deus tunc creaverat, erant valde bona. Ne γρῦ etiam de ſelectione et ſeparatione illarum Sephirarum extat, ex quarum reſiduis partibus, et quaſi ſcoriis, Daemones nati fuiſſent. Angeli, qui integritatem ſuam non retinebant, non mutati ſunt ratione ſubſtantiae, ſed tantum ratione qualitatum et perfectionum.

§. XII. Conſequentia denique huius lapſus, quae ab illis recenſentur, haec ſunt: Primum *Reſtitutio et reſtauratio ſeptem iſtorum Regum*, et ex illis *productio mundi Creativi, Formativi et Factivi.* Nihil enim inter creata eſſe dicunt, quod non prodierit de expurgatione ſeptem Regum, de quibus, quod praeſtantiſſimum fuit, ad *mundum Emanativum*, quod paulo inferius, ad *Creativum*, quod adhuc vilius, in *Formativum*, quod porro deterius, in *Factivum*, et omnium deterrimum, ad *Cortices* fuerit aſſumptum. Vid. R. Lorienſis, *de Revolut. anim. P. IV. C. I. §. 5. p. 415.* Alterum conſequens, quod ex lapſu fluebat, eſt *ſtatus Bilancis.* Cum enim Senex Sanctiſſimus reſtaurationem meditatus ſit, omnia eum conformaſſe per modum Bilancis, ceu per modum maris et foeminae, ut omnia creata, formata et facta ſubſiſtere poſſent. Duplicis autem Bilancis apud Cabbaliſtas ſit mentio. Prima dicitur *Macroproſopus*, altera *Microproſopus*; de quarum formatione Cabbaliſtae mira effingunt. Qui hiſce nugis delectatur, videre eas poteſt in *Siphra de Ziniutha, ſeu Libro Myſterii.* Hunc in finem vero Senem Sanctiſſimum conformatum eſſe in ſtatum maris et foeminae, ut Reges illi reſtituenrentur, ipſisque radix in ſupernis pararetur. Nam antequam ſtatus Bilancis contigerat, iſtos Reges nullum habuiſſe attactum in ſupernis, unde etiam mortui fuerint. Denique ad illa referenda eſt *Induitio veſtimentorum.* Nam ante lapſum omnia ſimpliciter ſubſtitiſſe aiunt, et nihil, quam meram lucem fuiſſe, poſt reſtaurationem vero Regum veſtimentis induta fuiſſe, ut nimium illud lumen iisdem abſconderetur. Lege haec, ſi lubet, ſubtiliter et aenigmatice deſcripta in ſaepius iam allegato Tractatu. Quae ſane nugae plus quam Aeſopicae ſunt. Et tametſi ſub his verbis, tanquam ſub cortice ſenſus quidam abſtruſior latere putatur

tatur, tamen, ſi et hunc erues, perinde ille, ac hic, quem prima fronte tibi verba produnt, erit ridiculus et fabuloſus.

DE
LAPSV ADAMI.
§. XIII.

EXaminatis hiſce figmentis, quae de lapſu, ut vocant, coeleſti, Cabbaliſtae proferunt, ad ipſum Adami lapſum progrediar, qui in *Paradiſo terreſtri* contigiſſe perhibetur, expoſiturus, quibus et haec doctrina erroribus ſcateat. Equidem cum Scriptura eandem cauſam lapſus allegant, dicuntque, *ſerpentem*, vel *Diabolum* fuiſſe, qui Adamum ſeduxerit. At ſerpentem illum longe aliter, quam Scriptura docet, exponere ſolent. Non enim illum pro vero et naturali, ſimulque a Diabolo obſeſſo habent, neque pro quodam individuo; ſed per eundem corpus Diabolorum, ſive Angelorum lapſorum, politicum aenigmatice repraeſentatum fuiſſe arbitrantur; interprete Loria in *Tract. de Revol. Anim. C. I. §. 13.* Conf. Henr. Morus in *Mercavae Expoſ. Poſt. XVII.* Et, quod craſſius illo eſt, aiunt, Deum eſſe cauſam peccati et *creaſſe figmentum malum pariter ac bonum.* Sic in *Sohar ad Gen. I, 26.* dicit R. Simeon ad diſcipulos ſuos: *Niſi ita eſſet, quod Deus benedictus creaverit* יצרא טבא וּבישא *figmentum bonum et malum,* (*quae ſunt lux et tenebrae*) *non fuiſſet neque meritum, neque reatus homini creato. Proinde ex duobus illis creatus eſt.*

§. XIV. Porro dicunt, *Adamum Riſchon*, ſive *Adamum Protoplaſten* a Diabolo ſeductum, ſimulque *omnes animas in illo contentas* huius lapſus et actus peccaminoſi participes fuiſſe factas. Idcirco etiam illas in mundum venire et revolvi, ut priſtinum ſuum ſtatum recuperent. *Notum eſt*, verba ſunt Loriae, *omnes animas in Adamo contentas, et omnes iuſtos in his mundis generatos fuiſſe membra Adami Protoplaſtae, ita, ut ſinguli reſtituant vitium illius membri, quod vitiaverant et corruperant, cum adhuc dependerent ab Adamo, tempore nempe peccati eius; in Tract. de Revol. anim. C. XV, §. 7.* Verum et ſub hoc verborum involucro angvis latet, quod accuratius haec verba examinantibus facile diſpaleſcet. Sententia enim nititur hypotheſi de *praeexiſtentia animarum*, quod nempe omnes animae actu in Adamo

mo extiterint. Equidem et nos ſtatuimus, quod in Adamo atque Eva, ceu ſtirpe, radice, ac principio generis humani omnes eorum poſteri, iuxta conſvetum naturae ordinem ex iis deſcenſuri, peccarint, ſecundum *Rom. V, 12, 19.* Non vero ideo, quod actu eodem tempore extiterint, et praeceptum de arbore vetita transgresſi fuerint; ſed propterea, quoniam per carnalem generationem animae propagantur et peccato originali inficiantur. Hinc etiam peccatum Adami, quod formaliter eius peccatum eſt, poſteris per imputationem tribuitur. Illud vero, quod ex illa transgreſſione fluxit, naturae ſcilicet vitium, non ſola imputatione, ſed etiam per carnalem generationem ad poſteras tranſit. Mirum itaque non eſt, ſi ex falſo principio falſa concluſio deducitur.

§. XV. Inſuper nobiscum tradunt, Adamum *totum Decalogum*, ſive, ut in Sohar loqui amant, *Legem ab* א *usque ad* ת fuiſſe transgreſſum; inprimis vero *Legem de non comedendo fructu arboris ſcientiae boni et mali* violaſſe, quod non ſemel R. Iizchac Loria in *Tract. de Rev. anim.* innuit, ſed ſaepius repetit. Vid. prae ceteris *C. I. §. 12.* item in *Collect. C. I. §. 15.* At enim vero arborem illam ſcientiae boni et mali myſtico plane modo interpretantur. Per bonum intelligunt *Metatronem*, et *totum mundum Formativum*; Per malum autem *Samaëlem*, et *totum exercitum Diabolorum*, qui ſub bono angelico et Metatrone lapſi ſint in ipſum malum et defectum ſuum, ut conſequenter per arborem cognitionis boni et mali nihil aliud inſinuetur, quam *arbor X. Sephiroth* regni Creativi, quae radice ſua ramisque ſuis extenditur ad Metratronem, qui dicitur bonus, et ad Samaëlem, qui dicitur malus, uti rem explicat R. Cohen Iaira in *Pnevmatica Cabbaliſtica e dogmatibus R. Iizchac Lorienſis, C. II. §. 11, 12.*

§. XVI. Verum et has ineptias relinquo, et ad *Formam* huius peccati, eiusque modum exprimendum, feſtino. Illam autem in *deflexione a lege illa Paradiſiaca* conſtitiſſe aſſerunt, quae deflexio alios atque alios actus peccaminoſos ſimul in ſe continuit, quos hoc modo exprimunt; (α) ſtatuunt, Adamum *ſuſpectum fuiſſe rapinae*, ideo, quod ſcriptum ſit Gen. I, 17. *de arbore cognitiones boni et mali non comedes*, ipſum vero furtim de ea comediſſe: (β) *abnegaſſe radicem omnium*, Deum videlicet, factumque eſſe Idololatram: (γ) adiiciunt, *Praeceptum de iudicio adminiſtrando* violaſſe; (δ) denique *libidi-*

O *ne*

ne ſeſe polluiſſe. (agnoſce foeditatem errorum !) Eo etiam libidinem acrius incitatam fuiſſe, ut cum Chava concubuerit; ſicut has ſententias de lapſu Adami ex Scriptis Cabbaliſtarum collegit R. Iizchac Loria in *Tract. de Revol. anim. Coll. X I, §. 15.*

§. XVII. Denique *Effectus* miros recenſent, qui ex hoc lapſu ortum ſuum traxiſſe creduntur. Referunt autem in hunc cenſum Cabbaliſtae (α) *amisſionem partium emanativarum*, ſive ſplendoris ſuperni. Quo ipſo indicatum volunt, amotam eſſe ab eo Pſychen, Spiritum et Mentem mundi Emanativi, ita, ut ſaltem partem dimidiam Pſyches emanativae ſecum Adamus poſt lapſum retinuerit, docente id R. Loria his verbis: *Cum peccaret Adam primus, ab ipſo tollebantur et avolabant partes iſtae emanativae, ſed non immergebantur in cortices, Tract. de Revol. anim. c. XIV. §. 12.* Nonnulli Cabbaliſtarum in ea haerent opinione, per hunc *ſplendorem ſupernum* imaginem divinam fuiſſe expreſſam. At, primo probandum eſt, an eandem veteres intellixerint. Et quamvis etiam hoc concedatur, tamen ex mente eorum illa nihil aliud eſt, quam *particula eſſentiae divinae*, homini in ſtatu integritatis conceſſa, et iterum poſt lapſum a Deo ad eſſentiam ſuam retracta. Quod vero ita falſum eſt, ut ſtatim Dei ſimplicitatem immutabilitatemque evertat. (β) *Iacturam partium ceterorum mundorum*, Creativi, Formativi et Factivi, quibus amisſis, omnes animae in cortices ſint delapſae. Vt teſtatur idem Magiſter, quando dicit: *Poſtquam peccavit Adam protoplaſtes, et gloria cohibitans per inquinamentum ſerpentis deſcendit et involuta eſt corticibus, tunc omnes animae cum illa exilium revera patiuntur, et immerſae ſunt putaminibus. C. VII. §. 13.* Hinc de corpore Adami haec enata eſt fabula, quod, cum ante lapſum ab una extremitate mundi usque ad alteram ſe ſe extenderit, per peccatum ita fuerit diminutum, ut ſtaturam centum cubitorum amplius non ſuperaverit, delapſis ab illo trium mundorum, creationis, formationis et factionis animabus, quae tanquam membra corpus eius diſtenderant, ita, ut paucae quaedam in illo remanſerint. Legatur Tractatus de *Revolut. animarum C. XIV, §. 18.* quod etiam repetit Capite ſequenti. En! quoddam fabularum pelagus, ex quo, neſcio, unde eluctari poſſim.

§. XIIX.

§. XIIX. Palpabilis vero error eſt, quando dicunt, (γ) ex lapſu permixtionem tantum mali cum bono fuiſſe enatam. Nam natura hominis penitus eſt corrupta, ut nihil boni in eo manſerit. Sed ut de mente ipſorum rectius conſtet, audiamus Lorienſem. *Cum*, inquit, *Adam comederat ex arbore cognitionis boni et mali, eo ipſo immiſcebat bono malum. Ita, ut bonum illud, quod in Adamo Protoplaſte eſſet, confunderetur cum malo corticum maſculinorum, nimirum Samaelis, qui vocatur Adam Belial, Prov. VI, 12. Eademque ratione bonum illud, quod in Chavah erat, immiſcebatur malo, uxoris eius Lilith, quae eſt ſpurcities ſerpentis, quoniam ſerpens rem habebat cum Chavah*, loco citato, *C. I. §. 12.* Neque tantum Adami naturam ita eſſe depravatam; ſed inſuper quoque *omnes tres mundos inferiores per lapſum Adami fuiſſe corruptos*, i. e. omnes animas, quae in his tribus exiſtant, eſſe depravatas, aiunt. Quod ſi enim non peccaſſet Protoplaſtus, mundus quoque Factivus de facie ad faciem ad mundum Formativum eſſet converſus, ita, ut omnes tres mundi perveniſſent in Syſtema Emanativum, atque deinceps per preces Adami ſemper ulterius aſcendiſſent, usque ad radicem ſuam genuinam. Peccante vero Protoplaſto mundos eo usque de gradu ſuo deſcendiſſe, donec pervenerint ad locum hunc depreſſum, in quo nunc ſubſiſtant, ut idem Cabbaliſta haec fuſius recenſet dicto Tractatu *C. XVII. §. 22, 23.* Atque hinc malum bono ita permixtum eſſe, ut in mundo Creativo bonum praevaleat malo: in mundo vero Formativo partes utriusque eſſe aequaliter permixtas: in mundo denique Factivo malum ſuperare bonum, nec eidem aequaliter eſſe permixtum. cit. loc. *P. IV. C. XXXVIII. §. 1.* Hinc, ut arbitror, intelligi poteſt error ille capitalis, qui omnibus Paganorum Sectis communis fuit, *duo eſſe rerum principia*, ex quibus omnia conſtent, alterum *bonum*, alterum *malum*; Qui error tam late ſerpſit, ut omnibus tunc Haereticis, quales erant *Simoniani, Gnoſtici, Valentiniani, Cerdoniani, Manichaei*, communis fuerit. Quod foedum dogma deinde *VVeigeliani, Boehmiani, Quakeri* et *Pietiſtae* propagarunt. Ex inſtituto hoc pertractavit Vener. Dn. D. Neumannus, in Diſputatione *de Chriſtianiſmo Stoico §. XVII, XVIII, XIX.*

DE
STATV CETERORVM HOMINVM
AB ADAMO DESCENDENTIVM.

§. XIX.

NVnc quoque homines, qui ex Adamo originem ducunt, ſumus conſideraturi. Duas autem partes eſſentiales Cabbaliſtae homini attribuunt, ut iam ſupra innui, *animam* nimirum et *corpus*. Corpus contemptim vocant *materiale* et *brutale*, quemadmodum hodierni Fanatici eorum veſtigia ſequuntur, et ſubinde apellant den Thieriſchen/unflätigen Leib. Quo de videatur R. Lorienſis in *Tract. de Revol. animarum C. VII. §. 17.* De anima vero hominum haec aſſerunt, illas (α) eſſe *particulas divinae eſſentiae*. Ita R. Moſe Korduerus *Tract. de anima* appellat illas *progeniem Dei, et patrem et matrem earum eſſe* ח״ת *et Malchuth. C. V. p. 131.* Error hic communis eſt Platonicis, aliisque et Philoſophorum et Haereticorum ſectis, quorum gerrae Siculae erant, animam eſſe *divinae aurae particulam*, eſſe *ignis divinae partem* et *ex eſſentia divina delibatam*, et quae ſunt aliae plures, in quibus colligendis non eſt, ut operoſe hic laboremus. (β) Nec minus falluntur, easdem *a prima abhinc productione extitiſſe*, et tempore conceptionis in corpora delabi, ut iam antea annotavimus; Hinc ineptum eſt, quod numerum illarum ad ſexaginta myriadas extendant. Vt Loria hunc numerum determinat: *Tota*, inquit, *animarum univerſitas exprimitur numero ſexaginta myriadum. Tract. de Revol. animarum P. IV. C. XLVI, §. 1.* Huic commento accedit illud, (γ) *animas per tota hominum corpora eſſe diffuſas et expanſas*, quod cum ſpiritualitate illarum pugnat.

§. XX. Mirum autem eſt dictu, quam varias animarum ſpecies Cabbaliſtici doctores conſtituant, quarum ſententias in ſummam hic contraham. Famoſa eſt diſtinctio, qua animam in quinque gradus, partes, vel ſpecies, *Pſychen* nempe, *Spiritum*, *Mentem*, *Vitalem*, et *Singularem* diſpeſcunt, illasque ſpecies reperiri in ſingulis mundis, Emanativo, Creativo, Formativo et Factivo, ita tamen, ut in genere *Pſyche* tribuatur *Factioni*, *Spiritus Formationi*, *Mens Creationi*, et *Mens mentis Emanationi*: uti hos animae gradus proponit R. Iizchak Lori-

Lorienſis *Tract. de Revol. anim. C. VIII. §. 23.* Accedit illa, qua animas diſpeſcunt in eas, quae continebantur in Adamo Protoplaſto, et in eas, quae in illo non continebantur. Illae animae veteres, hae vero novae vocantur. Inter quas hoc diſcriminis intercedere dicitur, a) utraſque quidem tam novas, quam veteres, eſſe tempore creationis mundi per myſterium copulae poſttergatione, uti loquuntur, facta, creatas; animas tamen veteres poſtmodum in ſtatum iungendarum facierum fuiſſe conſtitutas, novas vero in eodem copulae ſtatu permanſiſſe. b) Illas venire in mundum, et corpora hominum intrare, has vero non venire in mundum, niſi tempore millenii ſeptimi. d) Illas, quae tempore peccati in Adamo protoplaſto haeſerant, pronas et proclives fuiſſe ad peccatum, has vero, quoniam non comprehenſae erant in Adamo protoplaſto, tempore peccati eius, aptiores multo eſſe ad non peccandum, quam animae ceterae.

§. XXI. Protoplaſticae animae iterum ab illis diſtinguuntur, quasdam ſtatuunt eſſe prolapſas et immerſas in profundum corticum, quasdam autem remanſiſſe in eo, pro neceſſario vitae eius uſu, et quasdem ab illo quidem eſſe ablatas, ſed non in cortices immerſas. Ex illis deinde animabus, quae remanſerint in Adamo, natos fuiſſe Cainum et Hebel, filios eius, hisque quasdam ex animabus illis tempore congreſſus maritalis eſſe conceſſas. Vid. *Tract. de Rev. anim. C. VII. §. 19, 25.* Denique et illas non unius eiusdemque conditionis faciunt, ſed quasdam eſſe excellentioris, quasdam inferioris gradus, quod diſcrimen petunt a differentia radicum, a quibus animae deſcendunt, et a differentia ſcintillarum eiusdem radicis. Fingunt enim, animam quamvis conſtare ex *CCXLIIX.* membris, in quolibet autem membro eſſe carnem, medullam, ſanguinem, cutem, pilos, et quandoque ungves. Quicunque igitur pertineat ad medullam interiorem, illum admodum eſſe inſignem; cuius vero anima ad pilos membri pertineat, vel ad ungves, illum eſſe viliſſimum. Atque ex hiſce ſcintillis, ſive particulis radicum, omnes impios et populos mundanos progigni. Vid. *Tract. de Revol. anim. C. IV. §. 24.* Has, et ſimiles nugas de animabus, quas paſſim in ſcriptis Cabbaliſtarum reperies, ne dignas quidem ulla refutatione iudicamus, dum ſua ſponte corruunt, et abſurditatem ſuam ſtatim produnt.

Digitized by Google

§. XXII. Nunc etiam dicturus ſum, quid Cabbaliſtae ſentiant de *Modo*, quo animae iſtae in corpora delabantur et ſeſe iisdem uniant. Cum enim praeexiſtentiam animarum ſtrenue defendant, mirum omnino videtur, qua ratione animae in corpora intrare, et tam arcto vinculo ſeſe cum illis unire queant. De hoc autem animarum in corpora delapſu primo ſtatuunt, non uno eodemque tempore iſtas animae ſpecies hominem intrare, ſed *Pſychen* tempore nativitatis per *myſterium revolutionis*, quod גלגול vocant, eidem inferri; Vid. *Tract. de Revol. C. V. §. 1.* Cuius myſterii modum ſic explicat R. *Moſche Korduerus:* nimirum cum quis copulatur cum ſocia ſua, perfecta intentione ad unionem ſponſi cum ſponſa directa, tunc intentionem illam, quam *guttam ſanctam* et *ſpiritualem* appellant, elevari ab Angelo, huic impraegnandi negotio Praefecto, ante Dominum iudicem ſupremum, et tunc decretum fieri, ut ſemini eius infundatur anima quaedam de animabus ſanctis, praeſertim ſi praemiſerit preces debitas, ubi intentio duplicatur. *In Tract. de anima C. IX.* Ceteras vero ſpecies animae pro ratione iuſtitiae et aetatis in corpora hominum illabi autumant. Nam, ſi homo Bonorum Operum fuerit ſtudioſus, dari ipſi Spiritum poſt annos tredecim et deinde unum. Et, ſi ulterius iuſtificata reperta fuerint opera eius, porro in ipſum ſubintrare mentem anno vigeſimo. Sin vero probum ſeſe non gerat, Pſychen et Spiritum eius ſine mente permanere. Imo, quandoque nil niſi ſolam Pſychen accipere, eamque Spiritu et mente penitus deſtitutam. Atque has animas per *myſterium embryonatus*, quod עבור vocant, cum hominibus communicari. Qui animarum in corpora deſcenſus ideo *embryonatus* ab illis dicitur, quia ſi anima quaedam alia hominem ſubintret, iſte homo foeminae quaſi praegnanti ſimilis ſit, quae infantem embryonem in utero ſuo geſtat incluſum. Duplici vero ex cauſa hunc embryonatum fieri opinantur: α) *ex neceſſitate ſui ipſius*, ut praeceptum, quod in revolutione praeterita homo neglexit, obſervet; β) *ex neceſſitate alterius hominis*, ut ei opituletur, eumque iuſtificet ac gubernet. Ita haec myſteria prolixe explanat R. Lorienſis *c. l. §. 4. ſeqq.* Quae vero omnia, uti a veritate alieniſsima ſunt, ita figmento illo craſſo de *revolutione animarum* ſuffulciuntur. Eiusmodi adventum animae in corpus, talemque corporis et animae unionem, ignorat ſana ratio, ignorat et Scri-

ptura

ptura Sacra; ut proinde illa inter cetera Cabbaliſtarum deliramenta merito referam, in quibus refutandis diu ſi immorari vellem, dubio procul patientia Lectoris viderer abuti.

§. XXIII. Vt vero de *ſtatu hominum* in hac vita degentium aliquid ſubiungam, dicunt Cabbaliſtae, homines eſſe peccaminoſos et peccato coinquinatos, ita tamen, ut in qualibet hominis anima portio quaedam ſit ſanctitatis, quae obvoluta tantum ſit malo, ceu cortice. Speciatim de *peccato originali* haec tradunt: in omnibus hominibus eſſe naturam יצרה ſeu *pravae concupiſcentiae*, quae eos ad peccandum inducat. Atque illam appellant *veſtem hominis peccaminoſam et involucrum illud ſordidum*, quod per totam vitam eius permaneat. Moriente autem homine illam ipſam in terra putreſcere, malumque abſorberi, bonum vero reſiduum extare, quod aliquando in reſurrectione mortuorum in corpus hominisglorioſum ſit reſurrecturum. Vid. R. Iizchac Lorienſis *P. IV. C. I.* §. 13. et *C. XL.* §. 4. Fingunt inſuper, non omnes animas aequaliter peccato Adami fuiſſe coinquinatas; ſed quae profundius in Adamo extiterint, profundius quoque in cortices incidiſſe, et peccato originali coinquinatas eſſe. Hinc etiam animas quasdam maiori pronitate peccare, quam alias, contendunt; uti etiam illud indicat dictus Iudaeorum Magiſter cit. Tract. *C. XLIV.* §. 2. Ad peccata actualia quod ſpectat, non abnuunt, quod ex hoc malo fonte propullulent. Iudaei recentiores ſeptem peccata, tanquam abominationes graves,' recenſent: הבטלה׳ הגאות׳ הגרגרנות׳ הנמה׳ הכעס׳ הקמצנות׳ הקנאה׳ *Otium, Superbiam, Intemperantiam, Impudicitiam, Iracundiam, Avaritiam, Invidiam*, ut in Catecheſi illorum Q. XXVII. commemorantur.

DE
STATV RESTITVTIONIS.

§. XXIV.

CVm ex mente Cabbaliſtarum per peccatum Adami omnes omnino animae, quae in ipſo contentae fuerant, ſuperinvolutae ſint corticibus, et vitium contraxerint, idcirco in mundum illas venire, et in corpora hominum delabi, perhibent, ut a peccato et labe ſe purgent, Spiritum et mentem reſtituant, ad radicem ac priſtinum

ſuum

ſuum ſtatum redeant, perfectionemque tandem conſummatam in hac aeque, ac in altera vita adipiſcantur.

§. XXV. Quantum ex ſcriptis eorum colligere poſſumus, conſtituunt eum in *reſtitutione Pſyches*, *Spiritus et Mentis*; ſpeciatim *in purgatione animae*, eiusdemque *elevatione in gradus ſuos*; ac tandem *unione cum Deo*, tanquam radice ultima et ſumma, qua emanarint. Confirmat nos in eo Cabbaliſtarum facile Princeps, R. Iizchac Lorienſis: *Tenetur homo perficere atque reſtituere omnes ſpecies; quae ſunt Pſyche, Spiritus, et mens e mundo factivo, formativo, et creativo. Quia hi gradus in ſe admittunt elevationem vel depreſſionem; quae non accidunt vitalitati et ſingularitati, quae ſunt de mundo emanativo. Quod ſi enim homo perfecit Pſychen, Spiritum et mentem de tribus ſyſtematibus inferiorum, non opus eſt, ut timeat, ſe peccaturum*; de *Revol. anim. C. VI. §. 2.*

XXVI. Modum huius reſtitutionis, ſi deſideres, aiunt, eum non eſſe unum eundemque, ſed, pro diverſitate animarum, diverſum, ita, ut reſtitutio fiat in inſtanti, interdum ſucceſſive, aliquando imperfecte, non nunquam etiam perfecte. R. Iizchac illud clare docet: *Qui animam habet revera novam prima ſtatim vice aſſequi poteſt omnes animae gradus usque ad mentis mentem de Emanatione, nimirum ſecundum opera ſua, idque facillime: ſi autem peccet illa vice, tunc debet revolvi, nec accipere poteſt Spiritum, niſi ſucceſſive. Tract. de Revol. anim. P. IV. C. XXIV. §. 5.*

§. XXVII. Media denique, quae ad perfectionis ſtatum hominem perducant, eiusmodi praeſcribunt, quae, ſi recte pondero, totum ſalutis negotium obſcurant et invertunt, hominemque in hac vita ad Phariſaiſmum, Papiſmum, Fanaticiſmum et Enthuſiaſmum, ac tandem ad aeternum exitium deducunt. Nam haec palmaria et praecipua eorum media ſunt: *Studium B. O. et legis perfecta impletio: Studium Legis divinae*, et denique *Scientia meditandi, myſteriumque precum*. In quo nos confirmat R. Iizchak Lorienſis, Cabbaliſta eximius. *Omnia*, inquit, *in manu hominis conſiſtunt ſecundum bona eius opera, vel etiam per ſtudium legis, vel per meditationes; quia per haec tria fit reſtitutio Pſyches, Spiritus et Mentis*; *in Tract. de Revol. anim. C. XI. §. 12.* Praeter illa, adhuc unicum, idque praecipuum, eſſe dicunt *Revolutionem*, qua toties animae revolvantur, donec ad perfectionis ſtatum per-

perveniant. Vltima denique purgandi via eſt *Gehenna.* Nam ſi homo tam praefracte impius eſt, ut neque ſtudio B. O. incumbat, neque ſtudio legis deditus ſit, ac plane artem meditandi negligat, ſed incorrigibilis maneat, licet ſaepius revolutus, illum per Gehennam purgandum eſſe ſomniant. Ex quibus omnibus ſatis apparet, quod ſingula eo unice colliment, hominem per ſui ipſius merita, et operationem legis, ſummum perfectionis ſtatum conſequi poſſe. Quo igitur falſitas mediorum iſtorum eo magis diſpaleſcat, non inutilis erit labor, ſi ſtrictim carptimque ea excutiam. Primo autem de *Mediis Cabbliſticis* ad perfectionis ſtatum perducentibus, deinde de ipſis *Actibus*, in quibus perfectionis ſtatus conſiſtat, ſum acturus.

PARS TERTIA.

DE

MEDIIS CABBALISTARVM PVRGATIVIS.

ET NOMINATIM,

DE

VIA PVRGATIVA PER STVDIVM BONORVM OPERVM.

§. I.

INter Media Cabbaliſtica, per quae homo a peccato et labe peccati ſe ſe purgare, ſtatumque perfectionis conſequi putatur, primum eſt *Obſervantia Praeceptorum divinorum, ſtudiumque B. O.* de quo gens Thraſonica tam multa et magnifica iactitat, ut omnem felicitatem ex eo, tanquam fonte, derivatam velit. Sufficit huius rei teſtem adduxiſſe R. Iizchac Lorienſem: *Duo,* inquit, *homini neceſſaria ſunt, ab illo tempore, quo bonum permixtum eſt malo; Primum, ut homo bonum ſeparet a malo, id quod ſit obſervatione trecentorum et ſexaginta quinque praeceptorum*

 probi-

probibitivorum : alterum autem, ut portio boni reſtituatur, quod ſit per praecepta affirmativa ſeu iubentia : in Tractatu de *Revol. animarum P. I. C. IV. §. 1.* Mirum autem dictu eſt, quantum praeceptorum cumulum Cabbaliſtae conſtruant, ſic, ut numerum propemodum excedant. Etenim DCXIII. in univerſum Praecepta, Moſi in monte Sinai a Deo tradita, crepant ·, quorum CCXLVIII. *affirmativa*, reliqua vero CCCLXV. *negativa* dicuntur. Illa reſpondere *numero membrorum*, ex quibus hominis corpus conſtare putatur ; haec vero *numerum venarum*, quas idem hominis corpus continere dicitur, exaequare. Singula ſummatim, et per indicem ordine ſuo locata, exhibet D. Io. Henr. Maius *in Synopſi Theologiae Iudaicae V. et N.* adiectis Scripturae locis, unde deſumpta ſint, et ſignis, ex quibus cognoſci poteſt, utrum adhuc hodie a Iudaeis obſerventur, an vero negligantur ; Loco de *Lege §. 3. p. 192. ſeqq.* Sunt autem haec Praecepta ex mente Cabbaliſtarum non unius eiusdemque generis, quaedam enim ſunt *ſpecialia*, quae ad Reges, Iudices, Sacerdotes, Levitas, et ſic porro, pertinent: nonnulla vero *generalia*, quae a ſingulis obſervari poſſunt ac debent, cuiusmodi ſunt de *Lectione Audi*, de *precibus*, de *ſimbriis*, item de lege *adeundi domum conventus etc.* de quibus prolixius agit R. Loria dicto Tractatu *C. XI.*

§. II. Haec omnia et ſingula, ſive generalia, ſive ſpecialia Praecepta, homini obſervanda eſſe aiunt, quicunque *Pſychen*, *Spiritum* et *Mentem* reſtituere, et ad perfectionis ſtatum pertingere velit. Et quidem non qualiscunque praeceptorum impletio hic ſufficiat, ſed exacta, eaque numeris omnibus abſoluta, requiratur. Niſi enim perfectiſſima eiusmodi obedientia praeſtetur, vel revolutionem homini ſuſtinendam, vel, ſi impius et praeceptorum plane negligens fuerit, gehennam ſubeundam eſſe, tradunt. Speciatim vero, a Cabbaliſtis exigitur (*a*) *perfectio graduum*, ita, ut quaevis animae ſcintilla adimpleat omnia ſexcenta et tredecim praecepta, cum omnibus ſpeciebus. Nam Cabbaliſtae quamlibet animam in ſexcentas et tredecim ſcintillas diſpeſcunt, eamque, ſive per peccatum Adami Protoplaſtae, ſive per ipſius hominis commiſſa, ita diſtractam eſſe perhibent, veluti ſi per malleum ſaxum diffringatur in ſexcenta et tredecim particulas, ſive ſcintillas, imo plures. Vid. R. Iizchak Lorienſis in *Tract. de Revol. anim. C. IV. §. 20.* Non itaque ſatis eſt, ſi *homo* ſaltem ingen-

ingentem illum praeceptorum numerum impleverit, niſi et unaquaeque animae ſcintilla omnia illa ſexcenta et tredecim praecepta coniunctim ſumpta adimpleat. Adhaec, nec illud ſatis eſt, ſi *Pſyche* tantum dicto modo illis praeceptis ſatisfecerit, cum etiam Spiritus et mens eadem ratione omnia et ſingula obſervare teneantur. Denique et illa impletio nondum eſt perfecta, qua quis *facto* tantum praecepta divina impleverit, ſed neceſſe eſt, ut eadem *facto*, *verbo*, et *cogitatione*, ſive *intentione*, quam animam verborum et factorum Cabbaliſtae appellant, adimpleantur.

§. III. Ad perfectam legis implectionem requirunt quoque (β) *perfectionem partium*, ut homo adimpleat omnes omnino mandatorum divinorum apices. Si enim defecerit ſcintilla animae unica ſaltem in una parte praeceptorum, tamdiu revolutionem homini ſubeundam eſſe fingunt, donec omnia impleverit, uti docet Loria *c. l. C. IV. §. 6.* Cui ſententiae etiam adſtipulatur R. Moſe Korduerus, *Senex ſanctisſimus*, inquit, *exactisſime agit cum iuſto, pili inſtar, quia pro menſura operum eius bonorum anima eius elevatur in gradus ſuos, ita, ut etiamſi peccaſſet minimum in mundo peccatum, et minima laboraſſet macula, tamen non admittatur ad dignitatem gradus maioris, ideo, quod exactitudo operum eius eo non pertingat, unde, niſi puniretur et purificaretur ab illo, iacturam pateretur immanem.* In *Tract. de anima. C. V. §. 133.* Denique in homine legem impleturo adſit oportet (γ) *perfectio perſeverantiae.* Nam ſi vel ſemel labatur et deficiat a praecepto iuſtus, revolutione ſubiectus ſit, dicit idem Cabbaliſta in *Tract. cit. C. IV. §. 3.*

§. IV. Atque hanc omnium praeceptorum, imo verborum legis obſervationem, praeſtationem et impletionem, nullo prorſus exempto, ab homine Cabbaliſtae non tantum requirunt, ſed et confidenter aſſerunt, hanc legem ſervatu eſſe facilem, et impletu poſſibilem; uti id temere ſibi perſvaſum habebat iuvenis ille, male in Phariſaeorum ſchola edoctus, Matth. XIX, 20. Hoc ſaltem excipiunt, quod homo in revolutione repetita, ſi ſcilicet novit, quid ſibi deſit, omnia praecepta obſervare non teneatur, cum iam ſemel abſolverit quaedam in prima revolutione. Qui autem ignoret, quam ob cauſam in mundum venerit, et quaenam praecepta non obſervarit, illi omnia tam levia, quam gravia, obſervanda eſſe,

P 2 per

per traditionem R. Loriae *c. l. C. IV. §. 14. 15.* Sic Cabbaliſtae in ſapientia ſua *ἐμωράνθησαν*, ſtulti facti ſunt, ut Apoſtolus de Gentilibus loquitur; *Rom. I, 22.*

§. V. Incido nunc in *Effectus*, ex abſoluta hac praeceptorum divinorum impletione promanantes, quorum primus eſt *hominis a ſordibus peccati purgatio.* Simul ac enim homo praecepta legis exequatur, eo ipſo bonum ſeparet a malo, portionem boni reſtituat, et, quo quis exactius legem implet, eo maior illi eveniat purificatio, ita, ut digna tandem eius anima fiat veſte pulchra, quae vocatur *tunica Magiſtrorum*, eſtque veſtimentum legis praeceptorumque, quibus homo operam dat in hoc mundo. Hac igitur veſte indutum aſcendere hominem, quo videat faciem Domini exercituum, Regemque et Patrem ſuum, uti Korduerus loquitur in Tract. de *anima Cap. V.* Alter effectus, qui exinde ſecundum Cabbaliſtas reſultat, eſt *elevatio animae et acquiſitio Spiritus et Mentis.* Cum enim anima operam dederit operibus legis, pro menſura operum bonorum, elevari illam in gradus ſuos, ita, ut non tam Spiritum mundi Formativi et mentem mundi Creativi, ſed et mentis mentem mundi Aziluthici adipiſci queat. Vltimo huc referunt *migrationem ex hac vita ad ſtatum perfectionis et beatitudinis.* Nam, quo citius quis omnia praecepta adimpleat, eo citius illum ad hunc ſtatum venire putant. Hinc dicunt, dari iuſtos quosdam, qui quaſi exciſi in iuventute ſua moriantur, quod propterea fieri exiſtimant, quoniam iam perfeciſſent, quicquid ex omnibus ſexcentis et tredecim praeceptis erat complendum. His enim impletis, aiunt, hominem diſſolvi, et ex hac vita in ipſo iuventutis flore migrare. Sed, quis non ingemiſcat fanaticis hiſce deliriis, aut potius ad ſolam illorum narrationem non cohorreſcat?

DE
VIA PVRGATIVA PER LEGIS STVDIVM.

§. VI.

Altera via purgativa, quae ad perfectionis ſtatum ducat, eſt *Studium Legis*, cui homo operam dare teneatur, niſi velit revolvi.

Hoc

Hoc vero ſtudium ponunt in legis interpretatione, ſecundum פשט ſive *ſenſum Literalem*, רמז ſive *Allegoricum* : דרש ſive *Anagogicum*, et סוד ſive *Myſticum* et *Cabbaliſticum*. *Si quis*, verba ſunt Loriae, *non ſtuduerit obſervare myſterium* פ״ר״ד״ס *quae vox Paradiſum denotat, ſed literis ſuis harum vocum notas exprimit* : פשט״ רמז׳ דרש׳׳ סוד״ *i.e. indagandum eſſe ſenſum Scripturae literalem, allegoricum, anagogicum, et myſticum, illum revolvi oportet, donec ea praeſtiterit omnia, cit. loc. P. IV. C. II. §. 6.* Qui itaque non ſtuduerit in Lege ſecundum hos ſenſus commemoratos, illum revolvi, donec abſolverit omnia ſecundum ſingulos ſenſus. Et ſi non ſingulos obſervarit in prima revolutione, neceſſe eſt, ut in altera revolutione illis det operam. Ex quo etiam illud conficiunt, cur quidam homines omne ſtudium ſumma cum delectatione impendant in *ſenſum Legis literalem*, cum alii ſibi proponant *ſenſum Anagogicum*, vel *Moralem*, alii *Allegoricum*, vel *Tropicum*, alii *Gematriae*, ſive *Arithmeticae ſacrae*, invigilent, et alii *Viam veritatis* ſive *Cabbalam* ſectentur. Quae omnia ſic evenire putant, ſecundum finem, propter quem quis illa vice revolutionem ſit paſſus.

§. VII. De *Effectu* non eſt ut nimis ſimus ſoliciti, cum a prioribus, qui ex ſtudio B. O. reſultent, non differant. Nam etiam illum, qui ſic operam dat legi, pariter ſecundum opera ſua purificari, Spiritumque et mentem accipere, atque ad gradus perfectionis aſcendere docent. Hos inſuper mirandos effectus praeſtare poſſe diſcipulos Sapientum iactitant, ut non tantum ſe ipſos elevare ex *ſtatu hominis* in *ſtatum Angeli*, ſed etiam *naturas viventes*, ſeu *animalia*, et *vegetabilia* quoque, imo *ſilentia*, ſeu *inanimata* ſecundum gradus ab immundis ſeligere, ſecernere, et usque in ſtatum hominis perfecti elevare posſint. Hoc tamen cum diſcrimine; Si diſcipuli Sapientum ſint, et illi quidem Legis periti, nec tamen in Cabbalae ſtudio verſati; hos elevare poſſe gradum unum: *Vivens* nimirum in *hominem*. Qui vero admirandi ſint in ſapientia veritatis, elevare poſſe vel *ipſum ſilens in hominem*: ita, ut hac ratione ab homine reſtitui queant omnia iſta genera. Idiotas autem plebeios ne unicum quidem gradum, ne quidem *ſilens* in *vegetabile*, multo minus *vegetabile* in *hominem* reſtituere poſſe, imo damnis quoque ab illis affici, perhibent. Sic enim R. Loria hoc myſterium explanat: *Si homo*

quidam revolutus deveniat in manus cuiusdam, qui eum reſtituere nequit, v. g. ſi revolutus quidam in animal, comedatur ab idiota, plebeio et illiterato; vel revolutus in vegetabile quoddam a literato Sapientia veritatis deſtituto: tunc magno iſtos damno afficere poteſt, ita ut eosdem ſeducat in omnis viis ſuis, eosque impediat ab omni obſervatione praeceptorum C. I. P. IV. §. 8, 9, 10. Haec vero aperte Magiam produnt, et ad τὰ βάθη τȣ̃ Σατανᾶ merito referuntur.

DE
VIA PVRGATIVA PER ARTEM MEDITANDI.

§. IIX.

NOn poſtremum perfectionis conſequendae inſtrumentum eſt *Sapientia meditandi*, quae alioqui *intentio* ac *devotio*, itidemque *Sabbatiſmus* ac *ſilentium ſacrum* a Cabbaliſtis appellatur. Quae meditandi ars plane convenit cum *mora* illa, Langenweile/ Pſeudoprophetarum, qui tempore Magalandri Lutheri turbas in vera Eccleſia excitabant. De quibus legi meretur ipſe Lutherus in libro contra *Coeleſtes Prophetas P. I. T. III. Altenb. fol. 55. et Part. II. fol. 67.* Vbi Vir divinitus excitatus falſe eos perſtrinxit; et errores, quos ſpargebant, ſolide diſcuſſit. Nec diverſum ab illa eſt *ſilentium* Quakerorum, quo mens ab omni cogitatione ceſſet, et mere paſſive ſeſe habeat. Vid. B. D. Baierus, Praeceptor noſter Halae quondam deſideratiſſimus; in *Collatione Quakerorum et Proteſtantium Cap. III. Theſ. IV.* Ex quo liquidiſſime, apud cuiusvis ſeculi Fanaticos φλυαρίας Cabbaliſtarum altas radices egiſſe, apparet.

§. IX. Vt vero paulo plenius rationem huius myſterii Cabbaliſtici cognoſcamus, diſpiciendum imprimis nobis eſt de *Formali ratione*, quam Cabbaliſtae in *exuitione corporis et materialitatis*, ac in *elevatione animae ad naturam ſpiritualem* conſiſtere arbitrantur. Quo magis enim homo corpus exuat, et anima in cogitatione defixa ſit, eo magis ſpiritualitatem eius augeri, ita, ut etiam ultra hortum Eden anima eius aſcendere valeat, iudice, Cabbaliſtarum primipilo, R. Korduero, in *Tract. de anima C. IV.* Qui error foedus et craſſus adhuc hodie

hodie in Eccleſiâ noſtra, proh dolor, ſupereſt. Nam quid VVeigeliani, Schvvenckfeldiſtae, Boehmiſtae et hodierni Enthuſiaſtae aliud dicunt, quam *mentem a materia ſeparandam*, et *animum in fundum Dei eſſe elevandum*, ac quae his ſunt ſimilia. Non equidem nos attentionem ac meditationem a Theologo et Chriſtiano neglectam cupimus; cum in vulgus notum ſit, inter ea, quae Theologum faciunt, praeter *Orationem* et *Tentationem*, referri *Meditationem*. At illam paſſivam et otioſam expectationem, quam ſub nomine Gelaſſenheit commendare ſolent, ad Erebum, unde evocata eſt, damnamus. Legatur de eo Theologorum Lubecenſium, Hamburgenſium, et Lüneburgenſium Warnung/contra *Coeleſtes Prophetas, p. 27.* it. *Nic. Hunnius* in Betrachtung der Paracelſiſchen und Weigelianiſchen *Theologie p. 353. ſeqq. p. 488. ſeqq.*

§. X. Hanc autem meditationem tam neceſſariam eſſe fingunt, ut homo ſine illa nihil perfecte operari poſſit. Sic, ſi quis animam e corticibus educere velit, attenta hac meditatione opus eſſe. Similiter, ſi cibum comedat, et animas in illo revolutas reſtituere velit, non per aliud inſtrumentum, quam attentionem et meditationem fieri id poſſe, contendunt. Quemadmodum in ſtudio operum, Legis et precum, radix et fundamentum ſit, ſecundum R. Korduerum, qui illam *orationis et operis animam* appellat *cit. loc. c. V.* Inprimis autem ad reſtitutionem Spiritus et mentis eam tam neceſſariam eſſe, ut ſine hoc myſterio meditandi id peragi nequeat, uti R. Iizchac Lorienſis arbitratur; *Qui meditari*, inquiens, *neſciunt, nec intelligunt myſteria precum abſoluta parte Pſyches, mori tenentur, nec accipiunt Spiritum, niſi adventu altero. Atque ſic etiam mentis eſt ratio, ſicut nempe in caeteris revolutis.* Vid. Tractatus eius de *Revolution. anim. c. VIII. §. 9.* Modum vero, quo per hanc artem meditandi Spiritus et mens acquiratur, prolixe et ſecundum omnia requiſita in ſubſequentibus deſcribit: *Meditatatio* inquit, *illa, quae huc conducit, ita ſe habet. Qui enim ſapiens eſt, atque ſcit, ſe iam compleviſſe pſychen ſuam iuxta omnia, quibus opus habuit ſtudia atque perficiendi modos, ille ſingulis noctibus, cum iturus eſt cubitum cum attentione pſychen ſuam commendet in manus Dei benedicti, poſtquam ordine recitavit Lectionem Audi, coram lecto ſuo: ſicut in Scriptis noſtris expreſſum eſt tractatu de meditationibus, ad Lectionem Audi; dicitque e Pſal. 31. v. 6.* בידך אפקיד רוחי *in manus tuas commendo ſpritum meum*

meum etc. Atque tunc dicat ex Jeſchajah 26. v. 9. Pſyche mea deſideravit te in nocte etc. Atque tunc ſimul meditetur myſterium illud, quod indigitatur per literas initiales dicti illius Pſalmi 31 v. 6. quae efficiunt באר *Fons; quo indicatur, quod elevare debeat pſychen ſuam ſurſum in punctum Zijon regni ſive uxoris Microproſopi; ubi nimirum eſt notio fundamenti foeminini, ubi locum habent aquae foemininae provenientes ab animabus juſtorum, ſicut traditur in Sohar ſectione Vajechi fol. 298. ubi ſimul ratio traditur, quare locus iſte vocetur fons aquarum viventium. Attente ergo meditetur, ut pſychen ſuam elevet illuc usque, quo ibidem aſcendere faciat aquas foemininas de fonte illo ab imo ſurſum verſus maritum. Verum idem faciendum ſingulis noctibus, ut quis conetur attenta ſua meditatione elevare pſychen ſuam ad fontem iſtum, ſed per myſterium Depoſiti tantum. Si quis autem viderit, pſychen ſuam jam [illegible] perfectam; deſideretque aſſequi ſpiritum ſuum, ipſe pſychen ſuam penitus illuc elevet atque tradat, et non per myſterium depoſiti, ſed ut ibi permaneat intra fontem iſtum: deſcendetque portio ſpiritus intra eum, cum expergiſcetur de ſomno ſuo, intrabitque in eum loco pſyches. Ratio eſt, quia ſpiritus adhuc vitiatus habitare non poſſet intra pſychen iam reſtitutam; unde pſychen ſuam omnino dimittere debet, atque meditari, ut ſpiritum ſuum elevet e profundo corticum, inque ſe attrahat et introducat: atque tunc ambo illi gradus ſociari demum poterunt. Deinde quoque meditetur ſuper loco Ieſaiae 26. v. 9. Pſyche mea deſideravit te in nocte, etiam ſpiritu meo in interiori mei quaeram te mane. Sicut enim ibi meditationem inſtituit ſuper fonte ſuperno, ita hic meditetur, quod initium fiat a Pſyche, et finiatur cum ſpiritu: item quod incipiatur a nocte, et finiatur tempore matutino; quia dicit, mane quaeram te. Senſus eſt, quod pſyche quaſi penitus ſit mortua, cupiat atque deſideret illuc noctu ſomni tempore, ut nempe illuc aſcendat per myſterium aquarum foemininarum in fontem illum: et quoniam ita percupit atque deſiderat, hinc ibi remanet ſemper: cumque venerit diluculum et aurora, tunc intrat in eum ſpiritus, quem intendit textus verbis illis: Et ſpiritus, qui in medio mei etc. Pſyche in ſupernis relicta. Dicit autem: etiam ſpiritus meus ſenſu aucto, et aliud quippiam praemittente: quia niſi deſiderium et meditatio haec accederet, etiam non poſſet accedere ſpiritus illa vice: Jam vero mediante deſiderio hoc atque meditatione fieri poteſt, ut et ſpiritus ſpecies in illum ingredi queat tempore ſurgendi; nec opus habeat revolutione alia pro aſſequendo ſpiritu. Mediantibus igitur recitationibus dictorum*

rum iſtorum tempore ſomni, cum omni meditatione ſupra dicta meretur homo aſſequi ſpiritum, ita ut pſyche eius ſupra remaneat, donec plene reſtitutus fuerit ſpiritus. Poſtquam autem reſtitutus etiam eſt ſpiritus; tunc ſomni tempore eodem modo meditetur aquas foemininas elevare illuc: atque ſic etiam ſpiritus ibidem in ſupernis remanebit cum pſyche ejus, quippe quae ſpecies jam erant reſtitutae, ibique reſidebunt: et horum loco mens deſcendet in corpus hominis, ibique reſidet, donec plene reſtituatur, ut dictum de ſpiritu. Cumque perfectionem ſortita eſt et Mens; tunc et haec ſomni tempore aſcendit, attrahitque Pſychen et ſpiritum, in ſupernis degentes; et ſic omnes tres hi gradus in corpus veniunt, et Mens ſuperinveſtitur ſpiritu, et ſpiritus involvitur Pſychae. Atque ſic, ſi dignior evadit, ſecum etiam deferunt Pſychen Emanationis; quae involvitur menti; et Mens ſpiritui; et ſpiritus Pſychae. Poſtquam enim reſtituti ſunt gradus hi omnes tres, Pſyche nempe, Spiritus et Mens, omnes ſimul in corpore permanent, nec opus habent, ut amplius revolvantur. Hactenus ille Iudaeorum Magiſter *loc. cit.* Cuius verba integra et ordine ſuo hic adiicere placuit, dum maxime huc faciunt, et pleniſſime de Cabbaliſtarum mente, quam de arte ſua meditandi fovent, nos inſtruunt. Nec temporis, nec inſtituti fert ratio, nugas has carptim et ſigillatim obeliſco notare, cum Enthuſiaſmus, qui hic latet, omnium ſeſe oculis exponat. Nam Enthuſiaſtarum hodiernorum eandem cum Cabbaliſtis eſſe mentem, ex inſtituto demonſtravit Ven. Dn. Bücherus in *Menſibus Pietiſticis*, paſſim.

DE
VIA PVRGATIVA PER REVOLVTIONEM.

§. XI.

Diſcuſſis iis inſtrumentis, quorum ope ad ſummum perfectionis ſtatum, in vita homo evehi poſſit, ſupereſt nunc, ut ea quoque excutiam, per quae poſt mortem, ſi vivus felicioris huius ſtatus fieri non potuit particeps, eundem nanciſcatur. Primum horum et palmarium dixeris *Revolutionem animarum*, de qua multa Iudaei in ſcriptis ſuis fabulantur. Duplicem vero potiſſimum Cabbaliſtae crepant, quarum alia *animarum* revolutio, alia *corporum* nuncupa-

cupatur. Haec Ebraeis גלגול המתים i. e. *revolutio mortuorum*, ſeu גלגול המחלות ſeu *revolutio cavernarum*, vocatur. Credunt enim eos, qui extra terram Canaan in polluta gentium terra mortui et ſepulti ſunt, in die iudicii magni non eſſe reſurrecturos, niſi peracta prius revolutione, ut per terrae quosdam meatus in terram Canaan illorum corpora devolvantur, quia ibi tantum reſurgere posſint. Alteram גלגול נשמות ſeu *revolutionem animarum*, appellant, de qua in praeſentiarum ſermo eſt.

§. XII. Et haec quoque animarum transmigratio duplicis eſt ordinis, alia, qua *hominum animae in corpora humana*, alia, qua *animae improborum hominum in corpora brutorum, aliarumque rerum inanimatarum*, devolvuntur. Vtramque in ſcholis Cabbaliſtarum aſſertam deprehendo. Ad priorem quod attinet, docuiſſe eos conſtat, hominem ſpiritualem vel in hac vita ratione animae in corpus alterius transmigrare, et ſe cum illo arctisſime unire. Vel animam poſt mortem in aliud corpus hominis tranſire, ut praeceptum, omiſſum in ante acta vita, adhuc adimpleat et perficiat. Poſteriorem quod concernit, aiunt, animas improborum in bruta, aut alias res inanimatas, lapides et ſaxa, migrare. Sic ei, qui rem habet cum uxore in luce, transeundum eſſe in caprum. Si quis profuderit ſanguinem, illum revolvendum eſſe in undis. Qui vero adulterium commiſerit cum uxore aliena, eum revolvi oportere in mola aquatica; et quae ſunt reliquae eiusmodi nugae, quarum creberrima in Cabbaliſtarum ſcriptis fit mentio.

§. XIII. Si vero disquiras, quasnam ob cauſas haec revolutio fiat, hae ſimilesque a Cabbaliſtis recenſentur: α) revolvi hominem ex eo, ut vitium, in vita commiſſum, deleat; β) ut adimpleat et perficiat aliquod praeceptum, quod in vita neglexerat. Etiam γ) hanc cauſam allegant, migrare in corpora hominum nonnullos, non pro neceſſitate propria, ſed ut iuſtos reddant alios, eosdemque in rectiorem viam deducant. Quosdam δ) denique propterea revolvi, aiunt, quia non fuerant meriti in revolutione priori veram ſuam comparem ducere in uxorem, unde redire eos, ut eandem adhuc nanciſcantur. Videatur ſaepe citatus *Tract. de Revol. anim. C. V. §. 12.*

§. XIV.

§. XIV. *Subiectum* huius Revolutionis, dicunt, eſſe *omnes* omnino *maſculos*, ita, ut vix unus reperiatur, qui revolutionibus non ſit ſubiectus. Vid. *Tract. de Revol. anim. T. IV. C. I.* §. *13*. Imo, paucos eſſe homines, qui diem obientes ſupremum evitare posſint, ne in animal quoddam, vel beſtiam, vel vegetabile aliquod revolvantur. *Speciale Subiectum*, et quidem revolutionis in aliud corpus humanum, eſſe *iuſtos*, et *legis divinae cultores ac ſtudioſos*, qui ſaltem ex parte legi divinae ſatisfecerint. Cum enim Gehennam ex mente ipſorum ingredi non posſint, hinc neceſſe eſt, ut revolvantur in hoc mundo pro abolendo hoc, vel illo peccato. *Immediatum* conſtituunt tres partes animae, *Pſychen*, *Ruach*, et *Neſchamah*, ut ſubinde illud in antea commemorato Tractatu inculcatur. Excluduntur vero ab animarum recidivatu, ut Tertullianus loquitur, *mulieres*, quas non revolvi putant, quia illae tantum veniant per myſterium impraegnationis cum ſcintillis animarum, teſtante id Loria *l. c. Parte IV. C. XVI.* §. *1*. Deinde *impii* et *iniuſti*, nulla revolutione corrigibiles, quos poſt mortem gehenna puniri atque ſic expiari ſtatuunt. *c. l.* §. *14*.

§. XV. *Forma*, ſive *formalis ratio*, conſiſtit generatim in *mutatione ſtatus animae per diverſa corpora*, ſive in *tranſitu animae per diverſa corpora ad ſtatum excellentiorem.* Atque haec ſtatus mutatio (α) *gradualis et ſucceſſiva* eſt. Non enim ſimul revolvi *Pſychen*, *Spiritum* et *Mentem*, ſed primo tamdiu revolvi Pſychen, donec purificetur, atque tunc revolvi Spiritum, donec et hic penitus expurgetur, tandemque mentem, usque dum perfectionem ſuam omnes animae partes adeptae ſint. Atque tunc ad nullam amplius hominem obligatum eſſe revolutionem, niſi, ut ad iuſtitiam dirigat multos per impraegnationem, non vero per revolutionem. Vid. *Tract. cit. C. IX.* §. *16*, *17*. (β) *Nec infrequens* eſt, illa revolutio, ſed *multoties, vel millies, iterata.* Tamdiu enim revolvi Pſychen, Spiritum et mentem, donec plene purificentur, ait Loria *C. VII.* §. *1*. Diſcrimen tamen aliquod, ad impium quod attinet, Cabbaliſtae volunt notatum. Eum ſcilicet non revolvi, niſi tribus revolutionibus, et, ſi toto hoc tempore nullatenus inceperit corrigi, Pſychen illam penitus exſcindi; ſin vero corrigi ceperit, redire eum poſſe vel mille revolutionibus, perhibent. Quae pleraque omnia ex ſcriptoribus Platonicis ſurrepta, et novis incruſtata deliris ſunt. (γ) *Doloribus coniuncta* eſt. Nam cruciatus et poenas

Digitized by Google

nas ſuſtinere hominem in corpore una cum ſupplicio mortis *C. IX. §. 6.* Denique (δ) *localem* ſtatuunt. Putant enim Cabbaliſtae, quod haec animarum revolutio fiat per omnes mundos, *Aziluthicum, Briathicum, Ieziratbicum* et *Aſiatbicum*; ut nihil amplius nunc addam.

§. XVI. Atque per revolutionem eiusmodi exoriri inquiunt; (α) *Purgationem animarum, et lucrum multarum, ac quaſi infinitarum, veſtium.* Id enim paſſim a Cabbaliſtis inſinuatur. Ex multis proferam locum R.Loriae, qui *Iuſtus*, ait, *non tantum peccata ſua expurgat per revolutiones ſuas, ſed multas quoque, et quaſi infinitas lucratur veſtes ab actibus illis iuſtis, quos mille ſuis revolutionbus perpetravit*; in *Tract. de Revol. anim. P.IV. C.IIX.* Inde derivant (ϵ) *elevationem Pſychez, Spiritus et Mentis, ſive clarificationem illarum partium.* Idque ſequentibus verbis ab eodem Autore adſtruitur. *Hoc*, inquit, *innuitur verbis Iob. XXXIV, 15. Obibit omnis caro ſimul, et homo in pulverem revertetur. Quia propter omnes tres partes hominis, quae vocantur caro; pſychen ſcilicet, ſpiritum et mentem, homo cogitur expirare atque mori, ut perficere queat ſingulas ſpecies in ſingulis revolutionibus. cit. loc. Part. I. C.IIX.* §. 14.

§. XVII. Haec eſt illa μετεμψύχωσις, ſive migratio animarum, quam utrum Pythagoras a Cabbaliſtis, aut Cabbaliſtae a Pythagora olim hauſerint, propemodum dubium eſt. At, quam inſulſum et abſurdum hoc dogma ſit, vel inde patet, quod totum Chriſtianiſmum evertit, et doctrinam imprimis de ſtatu hominis perturbat. Primo enim, ſi anima, cum ſuo excedit corpore, in corpus aliud humanum migraret, unus idemque homo multoties, quin imo infinities, et moreretur, et renaſceretur, ut adeo una anima vel mille corpora aſſumere neceſſe haberet. Quae omnia fidem de carnis reſurrectione infringunt ac proſternunt. Si vero in corpus bruti anima tranſiret, primo tota homines inter et bruta diſtinctio ſpecifica tolleretur, neque brutum amplius irrationale, quin potius rationale eſſet dicendum, quod contra naturam ipſamque eſſet rationem. Vbi vero Scripturam de hac μετεμψυχώσει conſulamus, nullam plane eiusmodi migrationem dari, non loquitur, ſed clamat. Dicit enim quod animae mortuorum tranſeant, aut ad beatae viſionis gaudia, aut ad aeternos in inferno cruciatus; neque ullum animae in corpora regreſſum aſſerit, in quibus illa purgari et perfici poſſit. *Semel*, inquit, *homini ſtatutum eſt mori*, (non bis, vel ter, vel millies) *poſt hoc autem*

tem iudicium (non regreſſus in corpora) *Ebr. IX, 27.* De piis vero ait Spiritus S. quod *in Domino moriantur*, et *ἀπάρτι*, *ſtatim, beati ſint, et a laboribus ſuis quieſcant, Apoc. XIV, 13.* Ergo nemo, qui in Domino moritur, in mundo ulterius alios convertendi cauſa circumvagatur. Qualis enim ſit requies a laboribus, ſi tantis revolutionibus homo eſt ſubiectus, et quomodo beati ſint, qui viſione Dei beatifica privantur. De impiorum autem poſt mortem ſtatu dicitur, quod in inferno cruciatus aeternos doloresque infinitos ſentiant; non vero, quod in res inanimatas revolvantur. Commentum itaque illud Paganum et Fanaticum Cabbaliſtis relinquimus, et, niſi reſipiſcant, poenae loco precamur, ut tamdiu hinc inde, in quaecunque velint, pecora revolvantur, usque dum ad ſaniorem mentem redeant, et rectius de myſteriis divinis ſapere diſcant.

DE
VIA PVRGATIVA PER GEHENNAM.
§. XIIX.

VLtima via purgativa, qua animae in hac vita non purgatae poſt hanc vitam purgentur, eſt *Gebenna.* Cum enim homines quidam tam praefracte ſint impii, ut nullo modo per Revolutionem corrigi queant, in Gehennam illos precipitari, Cabbaliſtae ſomniant, quo ibi expientur et purgentur, atque ſic purgati demum coelum ingredi et perfectionis ſtatum conſequi poſſint. Ita R. Iizchac Morienſis; *Sciendum eſt, quod impii poſt mortem ſuam puniantur Gehenna, atque ſic expientur.* Tractatu de *Revolution. anim. P. IV. C. I. §. 14.* Neque tantum impios ita puniri et purgari, perhibet, ſed etiam ſequiorem ſexum, foeminas ſcilicet, cum ſtudio legis non deditae ſint, huic viae purgativae ſubiicit. Quando enim Cabbaliſta hic rationes quaerit, ob quas mulieres non revolvantur, ſed loco revolutionis Gehenna puniantur, omiſſis aliis, hanc quoque adducit: *alia ratio,* ait, *quare mulieres non revolvantur, haec eſt, quia viri, propterea, quod ſtudium legis exercent, non abeunt in Gehennam, hinc obligati ſunt revolutiones pati. Mulieres autem puniuntur Gehenna, nec opus habent revolutionibus c. l. P. IV. C. XX.* Stolida haec certe eſt ſententia, quae uno quaſi ictu concidit. Purificatio enim hominum, teſte Scriptura, fit

Digitized by Google

per *fidem*, *Act. XV*, 9. Ergo non fit per *Gebennam*, ubi nulla amplius gratia hominibus ſupereſt.

§. XIX. Quamvis igitur hoc commentum, ut apparet, abſonum ſit, meritoque deteſtandum, mirum tamen dictu eſt, quantum per omnem retro aetatem, non ſolum a gentilibus receptum, ſed etiam a Chriſtianis ſubinde diſſeminatum et propagatum fuerit, ſic, ut id vel hodie in Papiſmi et Pietiſmi propugnatoribus redivivum paſſim intueamur. De Gentilibus D. Io. VVindet in Tractatu *de Vita functorum ſtatu p.* 79. oſtendit: quod cum Socrate dixerint, *ſanas mentes ſtatim in Elyſium, ſanabiles vero poſt luſtrationem Tartaream admitti, inſanabiles perpetuo miſeras eſſe.* Non tamen omnium haec fuit ſententia, ſed multi poenam ſine fine impiis contingere aſſeruerunt, uti Tobias Pfannerus in *Syſtemate Theol. Gentilis purioris* ex Gentilium ſcriptis undiquaque collectis erudite demonſtravit. Longe autem latius ſerpſit hoc figmentum in primitiva Eccleſia, et inter Patres quidem *Origines* hunc foedum errorem maxime propugnavit, uti ex ſcriptis eius iamdudum innotuit. Huc etiam referas *Doctores*, uti ab Auguſtino vocantur, *miſericordes*, qui eandem hypotheſin fovebant. Nec non Anabaptiſtae eundem errorem errantes hominibus damnatis ac Diabolis finem poenarum decernebant. De Pontificiis Purgatorium fingentibus res notior omnino eſt, quam ut prolixe deducatur. Longe autem crudius Ethnicum hoc figmentum a Fanaticis noſtri aevi reducitur in ſcenam, et in Eccleſia orthodoxa diſſeminatur. Dicunt enim, quod damnati homines, imo Diaboli ipſi, elapſis ſeculorum ſeculis, hoc eſt, poſt annos 50000. purificationi eorum deſtinatos, poena eximendi, atque a Deo in gratiam coelumque beatorum ſint recipiendi. Quo dogmate ovum ovo non eſt ſimilius. Nos, cum Fanaticiſmum hunc iam ſatis excuſſerit Celeberrimus Gedanenſium Theologus, Dn. D. Schelvvigius, in *controverſiarum ſub pietatis praetextu motarum Synopſi*, quam hactenus fruſtra allatrarunt Fanatici, nolumus plura addere, aut in Iliade poſt Homerum conſcribenda deſudare.

DE
IPSAMET ANIMARVM PVRGATIONE.
§. XX.

Actus nunc, in quibus ſtatus ille beatus conſiſtat, perpendam.

Atque

Atque inter illos primo loco *Purificatio animarum* recenſeri meretur. Qui enim ſtatum perfectionis acquirere vult, hoc eſt, qui *Pſychen, Spiritum* et *Mentem* ſibi adſciſcere, et ſtatum priſtinum recuperare cupit, illum omnino purificatum, et ab omnibus peccati ſordibus purgatum volunt, ſin ſecus, eum in ſtatu miſeriae manere, et vel poſt mortem revolvi, vel in Gehennam detrudi, fingunt, ut ſic tandem a coinquinamentis ſuis purificetur.

§. XXI. Cum vero nemini ſine magno labore et ſtudio contingat ad hunc perfectionis ſtatum pervenire, ideo iisdem inſtrumentis ac mediis eo ſe pervenire ſomniant, quae hactenus indicavimus. Et hanc quidem purgationem conſiſtere arbitrantur in *expiatione labis, aliorumque peccatornm actualium*, quae homo per vitam ſuam perpetrat. Omnes enim animas peccante Adamo primo vitium contraxiſſe, aiunt, eoque in mundum delabi, ut ſe a vitio iſto purgent, et ad radicem ſuam redeant. Quamvis diſcrimen faciant ratione animarum. Quae enim novae dicuntur, nec revolutionem ſunt paſſae, illas maiori perfectionis gradu gaudere, neque vitio Adami contaminatas eſſe, facileque, ſi quid habeant vitii, purgari; ubi vero actualia peccata commiſerint, easdem peraeque oportere revolvi. Si vero animae ſint veteres et in profunditatem malorum, ſive corticum, ut loquuntur, deciderint, illas purgatione longe maiori opus habere, ſiquidem a vitio per Adami lapſum contracto expurgari debeant. Si denique animae ſint Cainiticae et Abeliticae, earum purgationem adhuc eſſe difficiliorem, quippe quae praeter Adami peccatum etiam Caini et Abelis peccati factae ſint participes. O Satanae profunditatem, in qua denuo, proh dolor, demergitur Chriſtianiſmus!

§. XXII. *Modum* denique ſi deſideres, qua ratione haec purgatio fiat, ille profecto *α*) *operoſus* eſt, *et difficilis*, vel, ut rectius dicam, *plane impoſſibilis*. Requirunt enim Cabbaliſtae ab homine perfectam praeceptorum divinorum impletionem, ita, ut ne peccatillum quidem committat, ſi velit perfecte eſſe purificatus. *β*) Haec purificatio eſt *ſucceſſiva et gradualis*. Nam primo purificari debere Pſychen, deinde Spiritum, et tandem Mentem. Equidem ſi anima ſit *nova*, ſine morte et revolutione omnes partes animae ſimul purgari poſſe contendunt; ſin vero anima ſit ex earum numero, quas *veteres* appel-

pellant, per varias et multiplices, ac ferme infinitas revolutiones id fieri vix poſſe, nugantur. Ad minimum trinam revolutionem requirunt, ita ut in prima *Pſyche*, in altera *Spiritus*, in tertia *Mens* purgetur. γ) *Non imperfecta, ſed perfecta plane* haec exiſtimatur eſſe purificatio. Hominem enim ita purificari poſſe, Cabbaliſtae ſubinnuunt, ut non tantum Pſychen, Spiritum et Mentem accipiat, ſed etiam, ut Mentis mentem, h. e. mentem de *mundo Emanationis*, ſibi acquirat. Omnia nempe dari homini pro menſura ſuae puritatis. δ) Denique *non permanentem et conſtantem* illam purgationem eſſe, fingunt, ſed aliquando deficere et minui, aliquando etiam augeri, prout homo ſe gerit, et praecepta legis divinae obſervat. Hinc etiam evenire, ut, ſi homo peccatum aliquod committat, vel praeceptum legis omittat, multum ei de puritate ſua decedat. Si vero exacte omnia impleat, etiam ſic hominem purificari poſſe, ut non tantum *Angeli gradum* nanciſcatur, ſed *Deo* ipſi asſimiletur, et cum illo arctisſime uniatur, quae decandata illa *ἀποθέωσις* eſt, haud ita pridem in Academia noſtra peculiari *Diſſertatione Theologica* a Summe Venerando Dn. D. Neumanno diſcuſſa.

DE
ASCENSIONE ET ELEVATIONE ANIMAE.
§. XXIII.

Poſt Purgationem animae, ſequitur eius *Aſcenſio*, ſeu *Elevatio*, quae alterum perfectionis animae ſtatum ſiſtit. Animam enim a ſordibus peccati purificatam elevari, et ad maiorem perfectionis ſtatum admitti, aiunt Speciatim requirunt ab homine, ut bonorum operum ſtudium iuxta praeceptorum divinorum normam exacte impleat. Nam ſi aliquod praeceptum tam accurate obſervat, et quidem ſecundum omnes ſpeciales circumſtantias, Pſychen illius hominis tam claram et glorioſam fieri, ut non tantum perveniat ad gradus Pſyches, vel Spiritus, vel Mentis, unde exciſus fuerit, ſed etiam multo altius elevetur, et tam evadat glorioſus, ut in perpetuum in gradibus iſtis eminentibus permanere queat. Hinc dicunt, hominem, ſi velit, fieri poſſe ad inſtar Moſis, quamvis Pſyche eius anima

ma Moſis multo ſit inferior. Vid R. Loriae *Tract. de Revol. anim. C. XI, §. 18.* ϛ) *attente homo meditetur, ut Pſychen ſuam elevet in punctum Zion, Regni, ſive uxoris Micropoſopi.* Si enim homo ſit ſapiens, et attente applicet cor ſuum decubitus tempore, mediteturque, ut dictum ſupra, Spiritum quoque et mentem eius ad Pſychen admitti, ut ſimul ſociata omnia tria complementum accipiant, nec homo opus habeat revolutione et morte, ac expiatione alia. Si vero in ipſo nulla ſit ſapientia, ut meditari et ſpiritum ad ſe attrahere nequeat, eum mori oportere, et ſpiritum eius alia revolutione per Pſychen Proſelytam redire, donec perficiatur; deinde iterum mori, ſi nondum ſciverit meditari, et mentem advenire alia iterum revolutione, ita, ut opus habeat pluribus migrationibus, eo, quod deſtituatur ſapientia meditandi; qua de re agit Clorienſis *Tract. de Revol. animarum C. IIX. §. 10, 14, 15.*

§. XXIV. *Formam* ponunt *in elevatione animae*, et quidem *Pſyches, Spiritus* et *Mentis*, ut homo omnia obiecta accurate percipere, et futura quoque praedicere queat; Et quidem ſi modum eius ſpectes, ea pariter, α) *non continua* et *permanens* eſt, niſi ad ſummum gradum anima ſit elevata. Nam fieri poſſe, aiunt, ut pſyche quidem purificata et ad locum ſuum evecta ſit, interim tamen in alia revolutione iterum peccare poſſe, ut gradum iſtum illuminationis amittat, et purgatione alia opus habeat. ϛ) *Succeſſiva* et *gradualis* eſt. Non enim hominem ſimul in perfectiſſimo gradu illuminari, ſed per gradus aſcendere, perhibent. Prout enim vel maior, vel minor pſyches fuerit puritas, eo usque aſcendere poſſe hominem, ut vel pſychen, vel ſpiritum, vel etiam mentem iuſtorum primaevorum, Abrahami, aut Moſis, qui maximus illuminationis gradus ab illis habetur, acquirere, imo ad ultimum usque graduum complementum pervenire queat. Vid. Loria *c. l. Cap. VII. §. 9, 13.* Cum eo facit R. Moſcheh Korduerus: *Sunt, qui dicunt tractando de Anima, aſcenſum fieri pro ratione operis, ita, ut ſi opera ſint ſpiritualia et ſubtilia, ipſa deinde pro ratione veſtis ſuae magis magisque elevetur (cum gradus ſuperiores etiam ſint ſubtiles atque tenues) aſcendatque de gradu in gradum, quousque admittit natura veſtimenti eius, non admiſſa, niſi eo pertingat meritum eius ulterius pro ratione intentionis eius. Tract. de Anima C. V.*

§. XXV. Huc pertinent *triginta ſemitae Sapientiae*, de quibus Cabbaliſtae perhibent, quod omnes oriantur ex Sephira *Chochmah*. Nihil vero aliud ſint, quam diſtincti illuminationis gradus, et divinae influentiae modi, quorum Pſyche, ſive anima hominis, pro ratione puritatis ſuae, fiat particeps, et arcana Dei introſpiciat. In ſummam omnia, quae huc faciunt, redegit Io. Reuchlinus *L. III. Artis Cabb. p. 834. ſeqq.* Prima ſemita vocatur: *Intelligentia miraculoſa.* 2. *Sanctificans.* 3. *Intelligentia abſoluta.* 4. *Intelligentia munda.* 5. *Intelligentia fulgida.* 6. *Intelligentia reſplendens.* 7. *Intelligentia inductiva.* 8. *Intelligentia radicata.* 9. *Triumphalis et aeterna.* 10. *Diſpoſitiva.* 11. *Claritatis.* 12. *Notata.* 13. *Recondita.* 14. *Illuminans.* 15. *Subtiliata.* 16. *Fidelis.* 17. *Probatoria.* 18. *Confirmans.* 19. *Voluntatis.* 20. *Conſtituens.* 21. *Innovans.* 22. *Domus largitatis.* 23. *Activitatum.* 24. *Medians.* 25. *Collectiva.* 26. *Adminicularis.* 27. *Perpetua.* 28. *Corporalis.* 29. *Complacentiae.* 30. *Concitativa ſenſuum.* 31. *Imaginaria.* 32. Denique *intelligentia naturalis.* Qui vero pleniorem illarum cognitionem deſiderat, is adeat *Librum Iezira*, in quo fuſe ſemitae iſtae pertractantur.

§. XXVI. Atque per hanc illuminationem hominem *res naturales cognoſcere, et arcana Dei, resque divinas introſpicere*, aiunt, verbo, omnia, quae a Deo usque ad hominem vergunt, recte intelligere et aſſequi poſſe. Summatim hae res a Cabbaliſtis exhibentur per *quinquaginta portas prudentiae*, ad quas Cabbaliſtae omnia, quae in orbe exiſtunt, relata voluerunt, et tanquam in certas claſſes diſtribuerunt. Hinc de illis hoc circumfertur dicterium: *Dixerunt Magiſtri noſtri, quinquaginta portae intelligentiae productae ſunt in mundo, et omnes illae traditae ſunt Moyſi, praeterquam una, quia dictum eſt, minuiſti eum paulo minus a Diis.* Prima autem harum quinquaginta portarum eſt ipſe *Deus:* ultima eſt *homo:* a Deo enim incipere debere omnem ſapientiam noſtram, et in homine finire, ut Deus ad hominem, et homo ad Deum referatur, ut loquitur *Autor Introd. ad Hiſt. Phil. Ebr. p. 315.* Alter effectus ſit *deſideriorum carnis ſuppreſſio;* Si quis enim ad tantum gradum evectus et illuminatus ſit, eum non amplius mundum, ſed Deum unice diligere et devenerari. Hinc, cui inſit *Neſchama Briathica*, is *ſervus Domini* ab illis appellatur; qui vero *Neſchamah Aziluthicam* poſſideat, *Filius Familias* nuncupatur. Et haec eſt unio illa cum Deo myſtica, de qua paucis.

DE

DE
VNIONE ANIMAE CVM DEO, CEV RADICE SVA.

§. XXVII.

COnſummatum Perfectionis ſtatum eſſe dicunt Cabbaliſtae, cum *anima purificata uniatur cum Deo, ceu radice ſua*, uti hoc vocabulo utitur R. MoſcheKorduerus *Tract. de anima C. V.* Non vero dignos eſſe hac unione cum ſancto eos, qui tantum aliquo modo purgati ſunt, ſed illos, quorum anima *perfectè purificata* et *elevata* eſt in gradus perfectionis. Si enim homo ſic appropinquaret conditori ſuo, ut omnia, quae ipſi facienda incumbunt, ad ultimam *ἀκμὴν* perduxerit, coronari eum *cinctura coronae ſanctae ſupremae*, quae omnia complectatur, et *Neſchamah* appelletur. Hanc in ſententiam R. Moſche Korduerus loquitur: *Homo ſanctificet ſe ipſum inferius, et ſanctificabunt eum deſuper; et cum ſanctificatur homo ſanctitate Domini ſui, ſuperinduunt ipſum Neſchamah ſancta, quae eſt haereditas ſancti et congregationis Iſraëlis, et tunc haeres ſit omnium: et tales vocantur filii ſancti. Tract. de Anima C. III.*

§. XXIIX. *Subiectum*, itaque *immediatum*, quod huius unionis particeps fiat, vocant *Neſchamah.* Illam enim in habitaculo ſancto degere, quod appellant *faſciculum viventium*, et tam arcte unitam eſſe Deo, ut a Sancto perfecto iubare illuminetur, ipſaque deinde Spiritum hominis, ac Spiritus eius Nepheſch, illuminet. Quando vero homo *Neſchamah Azilúthica* gaudeat, illamque adeptus ſit, longo adhuc ſublimiori modo et arctiori gradu cum Deo unitum eſſe, aiunt, atque tunc augmentum aliquod lucis eum accipere, ſuperadditum ipſi ex parte *Kether* et *Binah*, quae involvantur *Briae*, atque ſic אין סוף influere homini per myſterium emanationis.

§. XXIX. *Mediatum* vero *Subiectum* ſint *Nepheſch* et *Ruach.* Nam Nepheſch üniri cum Ruach, et aſcendere cum eo ad Neſchamam fingunt, et Spiritu ſic exaltato, cum Neſchemah uniri; Hanc autem copulari cum איו סוף *infinito*; atque tum quietem habere ſuper omnia, et unione frui ſuprema et eminentiſſima. Sic enim hoc ex *Sohar. Sect. Thruma* R. Moſcheh Korduerus his verbis ediſſerit: *Ne-*

phes, cui paratur quies, cum ambiens huc illuc oberrat, occurrit illi (animarum collocandarum Praefecto) cui nomen Iedumiam eiusque Satellitibus, qui ſuſceptam per omnes Paradiſi portas introducunt, monſtrantes eidem gloriam iuſtorum et gloriam Spiritus eius; (cum quo antea vixerat) Illa vero eidem adhaeret ſuaviſſima quiete intra illum veſtitum eius: Atque tum edocetur negotia mundi huius. Et cum Spiritus ille aſcendit, ut coronetur intra Neſchamam excelſam ſuperius, iſte Nepheſch cum ipſo adunitus ab eodem illuminatur ſicut Luna, cum lumen accipit a ſole: Spiritus autem copulatur cum illa Neſchamah, quae coronatur intra ultimum terminum Machſchaba, (Cogitationis) quod eſt myſterium Nepheſch ſupernae: Illa Nepheſch autem unitur cum ſpiritu ſic exaltato, qui cum ſublimi illa Neſchamah unitur: Haec autem Neſchamah copulatur cum infinito: Atque tum quietem habet ſuper omnia; et unionem omnium ſupernorum et infernorum: Tract. de Anima C. II. Ita vero unitam cum Deo animam, ceu radice ſua, eſſe ſanctam et perfectam, imo transformatam in Deum, ut unus cum eo ſpiritus, et una vita ſit. Atque ſic cum Deo loqui et ſermones facere, futura praedicere, et quiete ſumma ac felicitate frui poſſe arbitrantur. Habes ἀποθέωσιν illam, qua Diabolus Protoplaſtos in Paradiſo dementavit, et totum genus humanum in exitium deplorandum praecipitavit.

DE NOVISSIMIS.

§. XXX.

PAucis tandem diſpiciamus, quae ſomnia de *Noviſſimis* Cabbaliſtae fovent. Et quidem de *Morte* auſpicaturi, *nongentas et tres ſpecies mortis* enumerant, quarum placidiſſima נשקה ſive *oſculum*, graviſſima vero אשקרה ſeu *ſtrangulatio* vocatur. Illa Moſen, quia mortuus dicitur על פי יהוה i. e. ut ipſi exponunt, *ad os Domini, Deut. XXXIV. 5.* Hac Ahitophelem, iuxta *1. Sam. XVII, 23.* mortuum fuiſſe contendunt, uti hoc commemoratur in Codice ברכות *fol. 8. col. 1.* conf. R. Maimonides in *More Nevochim P. III. L. LI.* Has autem varias mortis ſpecies per verba למות תוצאות *Domino ſunt ad mortem multi exitus Pſ. LXVIII, 21.* expreſſas et ſignificatas fuiſſe, arbitrantur. Vid. R. Men. Ben Iſraël *de Termino vitae fol. 67.*

Nos

Nos quidem concedimus, varios omnino eſſe mortis modos, variaque eiusdem genera; at totidem eſſe, et quidem talia, quae a Iudaeorum Magiſtris recenſentur, de eo iure meritoque adhuc ambigitur. Perperam ex loco citato, per *Gematriam* corrupto, argumentum petitur, uti iam ſupra Cap. II. a nobis eſt monitum.

§. XXXI. De Angelo, mortis Praefecto, quem *Samaëlem* vocant, hanc fabulam recenſent; Totum ſcilicet eum eſſe oculeum, et ſtare prope cervical aegroti ſtricto gladio, e cuius mucrone guttula fellis pendeat, quam ſimul ac aegrotus conſpiciat, trepidet atque os diducat, et ſic guttam illam continuo ei infundere, ut guſtu illius emoriatur. Sunt quidem, qui haec mythice declarant, exiſtimantes, per *fellis guttulam* mortis amaritudinem, per *oculos* vero *Angeli* indicari, neminem a morte immunem permanere poſſe atque ſecurum. Verum, tametſi haec aliquam veritatis ſpeciem prae ſe ferant, erronea tamen ſunt, quod Angelus quidam, a Deo ad id conſtitutus, credatur, qui mortem homini procuret, animamque a corpore ſeparet. Quod figmentum vel eo ipſo corruit, cum cuivis conſtet, nihil quicquam de Angelo hoc Scripturam dediſſe conſignatum.

§. XXXII. Cauſam mortis confitentur eſſe *peccatum originale.* Ab omnibus enim peccatis hominem ſe purgare poſſe, inquiunt, at peccato originali non citius, quam poſt mortem, perhibent. Quod Lorienſis his verbis indicat: *Omnes Cortices, omnemque ſpurcitiem, quam in ſe derivat homo per peccatum proprium, ſeparare et mundare poteſt per converſionem poenitentiae: Sed peccatum Adami protoplaſtae multas ob cauſas magnum nimis eſt, quae hic enarrari nequeunt. Hinc ne per poenitentiam quidem multum ſeparatur. Quamvis enim remiſſio detur peccatorum, et ſine dubio Deus poenitentiam Adami Protoplaſtae ſuſceperit: immundities tamen illa et cortex, qui cuivis adhaeſit, ab eodem tolli nequit niſi poſt mortem.* in *Tract. de Revol. anim. IV. C. XLIV. §. 6.*

§. XXXIII. Porro, et recte quidem, nobiſcum docent, omnes promiſcue homines, ne unico etiam excepto, propter peccatum morti eſſe obnoxios; in eo tamen fallunt, neminem extraordinario modo vivum ad coelos fuiſſe translatum. Idcirco quae de *Henocho* et *Elia* ſtatuunt, illos fuiſſe mortuos, et poſtea per *revolutionem* in alia corpora delapſos, ſicque ex ſpeciali Dei gratia vivos ex his terris ad

Dominum translatos, fabuloſa ſunt, et ex falſo principio, *revolutione* ſcilicet *animarum*, profecta.

§. XXXIV. Vlterius fabulantur, *triginta diebus, ante, quam homo e mundo diſcedat, auferri ab ipſo Neſchamah ſanctam, ſimulque imaginem*, ne amplius ipſi affulgeat. Et quidem de diſceſſu imaginis hanc rationem affert R. Moſ. Korduerus: quia *conformationem hominis antecedat, ideo eandem die trigeſima, ante mortem, ab homine iterum abire*, in *Tract. de anima C. IV.* Nec minus in definiendo, *quonam poſt hominis obitum partes animae revertantur*, ſe ſe torquent; in eo tamen plurimi conveniunt, homine ex hoc mundo ſublato, principalem τȣ *Nepheſch* manſionem eſſe in hoc mundo, τȣ *Ruach* in horto Eden inferiori, et τȣ *Neſchamah* in horto Eden ſuperiore, ſive faſciculo viventium. In Sabbatho autem et ſingulis Neomeniis vadere *Nephesch*, et aduniri τῷ *Ruach* in horto terreno; *Ruach* vero cum *Neſchamah* in horto coeleſti; quo de legatur R. Moſe Korduerus *Tract. citato C. II.* Scriptura profecto de diſtinctis his animae partibus ac diverſis illarum poſt mortem receptaculis nil quicquam tradit, ſed uti homini unam animam aſſignat, ſic eidem poſt mortem unum tantummodo πȣ̃, vel beatitudinis ſedem, vel infernum, decernit.

§. XXXV. Dari *reſurrectionem carnis* Cabbaliſtae credunt, univerſalem tamen negant, dicendo, *impios non eſſe reſurrecturos*, ſed iuſtos tantum ex gente Iſraëlitica felicitatis huius futuros eſſe participes. Sic R. Abarbenel, R. Maimonides, aliique plures de reſurrectione mortuorum ſentiunt. Idem docetur in *Sohar: Tempore reſurrectionis Deus ſanctiſſimus atque benedictus advocabit Angelum Tumah, et expoſcet computum omnium iuſtorum. Tit. X I. Porta Retribut. §. 28.* Quod paulo clarius oſtenditur §. 43. cit. loco, ubi haec verba leguntur: *futuro tempore etiam oſſa gentilium medicinam quandam accipient in ſepulchro, ſed non reſurgent.* Imo, *nec omnia hominum corpora reſurrectura eſſe*, putant. Hominem enim, per revolutionem tria corpora accipere, in uno vero eum reſurgere, cetera in nihilum redigi, docet Liber Sohar *Tit. X I. de Porta Retrib. §. 40.* Vlterius dicunt, *extra terram ſanctam inter gentiles et idololatras mortuos non reſurrecturos eſſe* tempore mundi venturi; Ideo etiam corpora illorum volutentur oporteat per antra ſubterranea, usque in terram Iſraelis, ut ibi vivificentur. In *Synopſ. Lib. Sohar Tit. X I. §. 8.* Nec praetereundum figmentum de

officulo,

oſiculo, ut vocant לוז *Lus.* Os hoc, quod magnitudine ciceris in ſpina dorſi infimum, atque corporis reſuſcitandi principium productivum conſtituunt, ſolum in cadavere mortuo remanere et nulli corruptioni obnoxium eſſe tradunt. Teſtatur hoc pasſim *Liber Sohar*, in quo textus hic, ut alios taceam, reperitur: *Os quoddam in ſepulchro ſuperſtes manet, ex quo reaedificabitur futuro tempore corpus, et hoc osſiculum nullum habuit alimentum e cibis huius mundi; hinc tantum ipſi robur eſt, ut nec putreſcat in terra.* Ita Cabbaliſtae delirant, et veritatem divinam in mendacia convertunt.

§. XXXVI. Finem denique reſurrectionis dicunt eſſe *reſtitutionem animarum ad priſtinum ſtatum*, per quam non reſtitutionem imaginis divinae intelligunt, quam homo in reſurrectione adipiſcitur, ſecundum illud Pſalmiſtae, *Saturabor, cum evigilavero imagine tua. Pſ. XVII, ult.* Sed eiusmodi reſtitutionem, qua animae ad Deum, tanquam radicem ſuam, unde emanarint, revertantur. Animas enim ab Adamo protoplaſto delapſas omnes et ſingulas redituras eſſe in locum ſuum priſtinum, quem habebant ante peccatum eius, conſtans ipſorum eſt ſententia, teſtante id R. Loria *de Revol. anim. Cap. XV. §. 15.*

§. XXXVII. De *Iudicio extremo*, quae doctrina nunc ſequitur, docent, *quod ſeptem diebus primis poſt mortem Pſyche atque corpus hominis per ſingulos dies tribus vicibus iudicentur*, uti videre licet in *Synopſi Libri Sohar Tit. IX. §. 22.* De quo iudicio in Sacris literis ne apex quidem extat. Eſt quidem iudicium aliquod particulare, quod cuivis ſeorſim et in individuo ſubeundum in extremo mortis agone; ſed, quod poſt mortem ſeptem integros dies iudicium aliquod homo ſuſtinere debeat, et quidem tam ratione animae, quam corporis, illud fabuloſum et fictitium eſt.

§. XXXIIX. *Seculi conſumationem initium ſumpturam eſſe millenario mundi conditi ſexto* profitentur. Nam ſex tantum mille annos mundum hunc eſſe duraturum, fingunt, bis mille ſine lege, bis mille cum lege, totidem quoque ſub diebus Mesſiae, ſeptimo autem *regnum millenarium* primordia eſſe capturum. De cetero, nec hoc commentum praetereundum eſt, *mundum non in nihilum redigendum, ſed ad radicem ſuam* i. e. ad *Enſoph*, ex quo dimanarit, *reducendum*, et in ſtatum ſpiritualitatis eſſe convertendum. Quod ſomnium Cabbaliſticum ho-

hodierni etiam Fanatici ſuum maxime fecerunt, nihil magis, quam rerum omnium in primaevum ſtatum reſtitutionem et *ἀποκατάστασιν* crepantes et urgentes, quorum familiam *Peterſenius* ducit, qui in ipſiſſo libro, quem *μυστήριον ἀποκαταστάσεως ἁπάντων* inſcripſit, abunde venenum hoc chiliaſticum ſparſit cerebrique ſui figmenta explanavit, ut vel exinde colligas, unde Chiliaſmus natales et incrementa ſua fuerit nactus.

§. XXXIX. Denique, quae de *Vita aeterna* et *ſede beatorum* profitentur, pariter ex cerebro corrupto nata ſunt, et non parum tantum fidei myſterium obſcurant. In natura quaeritur et ratione, quod a ſola Scriptura et Dei gratia eſt expectandum. Hinc etiam non mirum, quod non aptius de vita aeterna loquantur, quam gentiles de campis ſuis Elyſiis delirarunt. Etenim *duos Paradiſos* fingunt, *inferum* alterum, alterum *ſuperum*, in quibus animas contineri, et beatitudine ſua frui arbitrantur. *Certas* etiam duplici huic Paradiſo *manſiones* asſignant, quasdam piis e gentilibus, nonnullas Regibus mundanis, qui Iſraëlitis benefecerint, alias populo ſancto Iſraëlis vindicantes. Quaſi vero coelum beatorum locus quidam eſſet, in certas cellulas diſtinctus, nec potius in ſtatu glorioſo conſiſteret, in quo electi ab omni peccato et infirmitate liberati, et cum Chriſto capite ſuo plenisſime coniuncti, Deum cum ſanctis Angelis et univerſo beatorum coetu in aeternum eſſent celebraturi.

§. X L. Claudat agmen et colophonem huic capiti imponat doctrina, quae *de inferno et impiorum poſt mortem ſtatu* a Cabbaliſtis profertur. *Gehennam conſtare*, fingunt, *ex igne et aquâ*, in eaque animas hominum lavari non minus, ac purgari. Deinde *ſeptem in ea gradus, et ſeptem portas conſtituunt*, correſpondentes ſeptem impiorum ſpeciebus, quae ſunt רעע *malus*, בליעל *perverſus*, חוטא *peccator*, רשע *impius*, משית *vaſtator* ſive *perdens*, לץ *deriſor*, יעיר *arrogans*. Denique opinantur, *animas impiorum hominum die Sabbathi inferno exire, et quietem nanciſci, usque ad finem Sabbathi*, quo de vide Librum *Sohar L. VIII. Porta Feſtorum §. 19. It. Tit. XI. Porta retrib. §. 59.* In *Idra Suta, ſeu Synodo minore Sect. III. §. 94.* idem figmentum legitur; *Et idcirco Sabbathum invenitur absque iudicio tam ſupra, quam infra; etiam ignis Gehennae retrahitur in locum ſuum, et quieſcunt peccatores.* Imo *omnes tandem ex inferno liberandos et ad Deum ceu radicem, ex qua primitus*

mitus emanarint, reducendos eſſe nugantur. Etenim Gehennam purgatorium, et poeans infernales omnes correctivas, nullas exterminativas eſſe, ſtatuunt. Ex his omnino pronum cuivis cordatiori erit iudicare, quid de praepoſtero illo Cabbaliſtarum hodiernorum conatu ſit habendum, qui haec zizania cum puriori divinae veritatis ſegete commiſcere, et ſic Chriſtianiſmum cum ipſo Paganiſmo in unum quoddam chaos conflare allaborant, ex qua commixtione nihil aliud tandem emergere poteſt, quam Chriſtianiſmus quidam Cabbaliſticus, Platonicus, Stoicus, et, ut verbo dicam, mere Paganus. Vti ex inſtituto id non ita pridem Theologi noſtri demonſtrarunt.

CAPVT IV.
DE
CABBALA MAGICA.

§. I.

RElſtat ultima Cabbalae ſpecies, *Magica* dicta, de qua pauca tantum traditurus ſum, ideo, quia partim alii Scriptores eandem iam excuſſerunt, quales ſunt Perkinſius in *Baſcanologia*, Zepperus *de Legibus Moſaicis*, Lambertus Danaeus *de Sortiariis*, Io. Chriſt. Frommannus *de Faſcinatione*: partim, quod hodierni Cabbalae Fautores, iique Chriſtiani, cum illa nihil commercii habere velint, ut adeo, in corradendis his Cabbaliſtarum myſteriis multum operae ponere, labor plane videatur ſupervacaneus. Ne tamen hanc partem intactam penitus relinquam, pauca tantum de nomine, ac definitione, variisque Cabbalae huius ſpeciebus, ſive modis annectam.

§. II. Priusquam itaque ad Cabbalae Magicae deſcriptionem pergamus, non minus de *Origine* vocis Μάγος, *Magus*, ut ſoliciti ſimus, eſt neceſſe. *Perſicum* hoc eſſe vocabulum, et idem iisdem gentibus, ac Graecis φιλόσοφον, Latinis *Sapientem*, Gallis *Druyda*, Aegyptiis

ptiis *Prophetam*, ſeu *Sapientem* ſignificare, in hoc plerique omnes eruditorum conſentiunt. Legi ideo prae caeteris meretur Illuſtris Barthius in *Notis eruditisſimis ad Claudianum p. 590.* Apuleius *Apologia I.* hanc vocem transfert per *Sacerdotem.* Strabo *Lib. XV.* ὑφηγούμενον τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς *praeeuntem ea, quae ad Deos pertinent*; Plato in *Alcibiade* Θεοῦ θεράποντα, *Dei miniſtrum*, Magum appellat. Elichmanno, Viro Perſicae linguae peritiſſimo ita videtur, vocem Magus, Perſis idem ſonare, ac מוג *Mog*, quod nomen proprium fuit Zoroaſtris, qui artis magicae vel autor, vel ad minimum inſtaurator, fuiſſe perhibetur; teſte Plinio, ſolertiſſimo naturae ſcrutatore, *Hiſt. Nat. Libr. XXX. Cap. I.* VViero *lib. II. de Praeſtigiis daemonum, cap. III.* Fuerunt itaque Magi antiquioribus temporibus nihil aliud, quam Iuris divini et humani, ipſiusque etiam naturae ſuperioris et inferioris, Conſulti atque interpretes, qui non ſolum circa Dei cultum fuerunt occupati, ſed rerum quoque naturam ſcrutati, quam ſibi praecipue inquirendam putabant. Cum vero procedente tempore ad nefarias artes delapſi, improbae curioſitati indulgerent, artibusque illicitis operam navarent, vox Magus, uti etiam aliae voces idem fatum expertae ſunt, deteriorem in ſenſum abiit, ita, ut ad ſciolum, divinatorem, Aſtrologum, illicitarum artium ſectatorem poſtea ſit translatum.

§. III. Dehinc vocabulum Magiae non uno eodemque modo accipitur; ſed aliquando ſignificat *artes naturales*, quae tamen inſolitae nobis videntur; Quo referas quam plurimos in rebus Phyſicis effectus, qui *Magiae Naturalis* nomine alioqui venire ſolent. De hac nihil hic loci diſquiritur, quippe quam in natura fundatam, adeoque licitam omnino eſſe, ultro largimur. Vt plurimum vero Magiae vocabulum eiusmodi artes infert, quae non per naturam exercentur, ſed per inſolita et impia inſtrumenta perpetrantur, ideoque alio nomine *improbata* et *infamis Magia*, Graecis vero γοητεία, βασκανία vocatur. Atque hanc Magiam, tanquam ſuperſtitioſam et Diabolicam ſcientiam, in totum reiiciendam exiſtimamus. Equidem Cabbaliſtae, ut ſe a ſuſpicione arctioris, quod cum Magia hac iis intercedit, commercii liberent, diſcrimen aliquod inter Magiam Naturalem et Diabolicam ponere conſveverunt. Verum naturalis illa, quam ſequi praetendunt, ſi non ipſa Magia Diabolica eſt, non multum tamen ab ea differt, aut in ſuperſtitionem declinat.

Sic

Sic olim Theophraſtus Paracelſus, inſignis ille mango, ſuam Magiam ſub Magia naturali ac licita venditavit *Libr. de occultis Philoſoph. p. 289.* Sed fucus eius exinde facile apparet, dum inter Naturalem et Diabolicam Magiam non aliud diſcrimen dari exiſtimat, quam hoc, quod incantationibus et ceremoniis Diabolo haec blandiatur; illa vero ſola fide et imaginatione innixa Deo et naturae fidat, atque Diabolum ſibi ſervire cogat, hoc argumento fretus, quod *Marc. XVI, 17.* Chriſtus, Servator noſter optimus, promiſerit, fieri, ut *πιςεύσαντες, credentes* ſigna ſingularia comitatura ſint, cuiusmodi ſunt, *Diabolum eiicere, ſerpentes tollere, venenum ſine noxa bibere, aegrotos impoſitione manuum ſanare, etc.* Quaſi haec fides miraculoſa inter χαρίσματα et dona promiſcue communia recenſeatur, et omibus ſit communis.

§. IV. Alioqui Magia quoque diſtingvi ſolet in *explicitam* et *implicitam. Magia explicita* eſt, qua quis nefandum foedus externum cum Diabolo pangit, quo interveniente omnibus bonis abundat, a quibusvis miſeriis immunis eſt, mirabilia praeſtat, futura praedicit, et plane inſolita et ſtupenda peragit. Expreſſum vero illud foedus fit expreſſis verbis, ab eo, qui novit ſibi rem eſſe cum Daemone, quive deſtinato conſilio ei ſeſe ſub conditione quadam mancipare intendit. Fitque illud tribus praeſertim modis, vel, cum *Diabolus ipſe forma viſibili comparet*, et coram teſtibus pactum expeditur: vel cum *abſque teſtibus pangitur:* vel cum *per Magum quendam notorium, Satanae delegatum, foedus initur.* Confirmatur impium eiusmodi pactum aliquando vel *ſolenni cuiusdam inſtrumenti ſcriptione*, vel *ſigno ſtigmatico, parti cuipiam corporis impreſſo.*

§. V. *Magia implicita* eſt, qua quis ſine expreſſo pacto ſuperſtitioſis mediis ad rem quampiam perficiendam utitur. Quae tamen ipſa Magia diſtinctionem quoque admittit. Implicita enim eſt, vel, cum *ſciens prudensque* ſuperſtitioſa media ad rem aliquam praeſtandam quis adhibet, ſine expreſſo tamen pacto; vel, cum quis ſuperſtitioſa media uſurpat, perſvaſus vim quandam et virtutem in mediis iſtis ad rem praeſtandam naturalem reſidere; de caetero vero *ignarus*, media illa ſuperſtitioſa eſſe, et efficaciam ſuam a Diaboli potentia et operatione ſortiri. Atque haec implicita Magia aeque illicita eſt, ac explicita, in eaque Diaboli fraudes quam maxime regnant, qui incautos nec opinantes pervertit. Nec minus pacto cum Diabolo

inito innititur, et quidem tacito, licet illud non ſit expreſſum. Nam, tametſi conceptis verbis Diaboli operam Magus eiusmodi non implorat, ea tamen media ad rem quandam perficiendam adhibet, quae vel ipſa dictante conſcientia nullam prorſus vim efficiendi intrinſecam habent. Huic autem Magiae implicitae ad minimum Iudaeos Cabbaliſtas operari, in aprico eſt poſitum, nil obſtante, quod ad raucim usque negent atque pernegent, nihil ſe cum eiusmodi artibus illicitis habere negotii. Hinc ultro conſequitur, nos per Magicam Cabbalam hoc loco non intelligere omnes artes Magicas, quibus Magi ad faſcinandos et decipiendos homines utuntur; ſed illam tantum artem, quae Cabbaliſtis inprimis propria eſt, et ab iisdem ſolet exerceri. Hanc itaque tantum Magiam praeſenti commentatione inquirere, et media, quibus fanaticum Cabbaliſtarum vulgus ſubinde utatur, ſummatim ſiſtere, curae nobis cordique erit.

§. VI. *Eſt* autem, ut ad rem ipſam veniamus, *Cabbala illa Magica ars hominum profanorum et infidelium, impia et ſcelerata, qua Diaboli ope cum ſuperſtitioſis inſtrumentis mira loqui et facere ſolent.* *Artem* appellamus, quoniam, ut ceterae artes licitae, ſua principia et praecepta impia habet, quibus homines malefici et a Diabolo ſeducti in perpetrandis facinoribus et faſcinationibus innituntur. Sicut enim Deus in verbo ſuo leges praeſcripſit, quibus Regnum eius gubernetur: ita Diabolus etiam ex κακοζηλία quadam leges et praecepta condidit, quibus mancipia ſua ſub metu et obſequio contineat, quaeve nihil aliud ſunt, quam παρανομίαι, ſeu legis divinae transgreſſiones. Idcirco etiam Cabbalam Magicam non artem ſimpliciter, ſed artem *impiam et ſceleratam*, adeoque κακοτεχνίαν diximus. Riſui alioqui cum omnibus ſuis artibus et conatibus Magi ſeſe exponunt; adeo, ut non ſine cauſa iudicarit ille apud Ciceronem: *Mirum, ſi Aruſpex, Aruſpici obvius, non rideat.* Horrendis tamen blaſphemiis, execrationibus atque ſceleribus Magiam refertam eſſe, nemo, cui pectus vera pietate munitum, inficiabitur, dum non ſolum nomine divino turpiter abutuntur, ſed et rerum futurarum ſcientiam ſibi tribuunt, omniumque, quae in aëre, aqua, et terra ſunt, arbitros ſeſe conſtituunt, et ita Deum hone-

nore, ipſi proprio et eximio, impio prorſus et ſcelerato auſu defraudant.

§. VII. Artium Magicarum, et dehinc Cabbalae etiam Magicae, ὑπȣργȣ̀ς; ſeu adminiſtros, *homines profanos et infideles* ſtatuimus, tales ſcilicet, qui Deo benignisſimo, eiusque foederi et legi, qua creationis, conſervationis, et imprimis baptiſmatis iure devincti ac obnoxii tenebantur, nuntium remiſerunt, ipſum gratiae foedus, verbo oblatum, impie repulerunt, ac in Diaboli, hoſtis divini nominis infenſisſimi, quamdiu his artibus litant, poteſtatem et caſtra tranſierunt. Primi, quantum conſtet, poſt diluvium inter homines Magi fuerunt Chaldaei, qui neglecta verae religionis doctrina, quam a ſanctis Patriarchis, Noa imprimis, et Semo traditam acceperant, totos ſe contemplationi corporum coeleſtium tradiderunt, et de futuris pariter et obſcuris rebus quibuscunque vaticinandi peritiam ſibi arrogarunt. Quod non obſcure colligi poteſt ex Hiſtoria Sacra, qua de Labane, Chaldaeo, cognoſcimus, quod תרפים *Theraphim* coluerit, quae nihil aliud fuerunt, quam divinationis inſtrumenta. Idcirco Laban *Gen. XXXI, 30.* vocat אלהים *Deos* ſuos, et maiorum ſuorum; et Rahel Patri ſuo ideo easdem abſtulerat, ne fugam eius forte proderent, *Gen. XXXI, 19.* Etiam Plinius autor eſt, antiquisſimos Magos Apuſeorum fuiſſe *Zalatum*, *Marmaridum*, *Zarmacenidam*. Dimanavit ea ars a Chaldaeis, Babyloniis, ad Aegyptios, praecipue et Perſas, diſciplinarum Magicarum profesſione maxime inclytos. Quod apparet ex hiſtoria Pharaonis, ubi *Gen. XLI, 5.* Pharao ſomno perculſus convocaſſe dicitur: את חרטמי מצרים ואת כל חכמיה *Magos Aegypti et omnes ſapientes eius.* Iam tum igitur in Aegypto Diabolus vates ſuos et adminiſtros habuit, qui ſigna eius egregie ſequebantur. Potisſimum id ex *Exodi Capite VII*, et *VIII.* liquet, ubi Magi Aegytii Moſi reſiſtentes inducuntur. Accedit his *Bileamus*, filius Beor, Meſopotamienſis, uti *Num. XXIII, 17.* habetur, inſignis certe divinaculus, cui etiam conſulentes attuliſſe dicuntur קסמים *μαντεῖα, divinationis pretium, Num. XXII, 7.* Ab Aegyptiis hanc artem translatam eſſe ad Iudaeos atque alios terrae ſanctae populos, nemo ignorabit, dum iam Saulis tempore Pythoniſſam Endoream famoſam ſatis, et ab ipſo Saule frequentatam fuiſſe, Sacrae

edocent Pandectae. Nec Prophetarum poſtea tempore multo minus defuerunt, qui nomina ſua in Diaboli militiam dantes, gnaviter arti huic invigilarunt, et divinationes varias ex tripode protulerunt, quod Prophetarum, quorum aetas in illa tempora inciderat, querelae ſatis confirmant. Et ſic longo temporum tractu Magiam inter Iudaeos etiam viguiſſe, et etiamnum inter illos receptam eſſe, ex ipſis Ebraeorum monumentis ſatis dilucide probat Hottingerus in *Theſauro Philologico p. 444. ſeqq.* Et quanquam per Iovem lapidem iurent, ſe nihil quicquam hodierno die cum Magica hac Cabbala habere commercii: convincuntur tamen tum libris haud ita pridem vel ſcriptis, vel excuſis, tum quoque ex ipſa praxi. Vid. Io. Müllerus in *Iudaiſmo p. 455.* Io Buxtorffius in *Bibliotheca Rabbinica, p. 40.* ubi de libro *Raziel* idem quoque fert iudicium.

§. IIX. Hactenus de adminiſtris Magiae, hominibus ſceleratis et impiis: Magiſtrum porro artium illarum verumque opificem aſſerimus *ἀρχέκακον* illum, *Diabolum.* Cum enim Magus mira eiusmodi dicat faciatve, quae et Magorum, qua homines ſunt, virtutem, ſcientiam et poteſtatem longiſſime ſuperant, nec Deo, Angeliſque ac hominibus bonis tribui poſſunt, uti et modus et finis dicendi faciendique arguunt: autore Diabolo et magiſtro mira illa fieri et perpetrari, ultro conſequitur. Reperias quidem, qui omnia, quae in oculis hominum mira habentur, ad melancholiam, naturales morbos, artem, induſtriam, aſtutiam hominum, figmentis ſuis alios faſcinantium et illudentium, ſtolidamque phantaſiam ipſius hominis referunt; quibus Philoſophi hodierni Magnetici, qui ubique imaginationis vim ac Sympatheticas influentias cauſantur, frigidam quam maxime ſuffundunt. Sunt etiam, qui omnes impietatis numeros implentes, operationes magicas ad Deum, divina chariſmata, Angeloſque bonos referre non dubitant; Verum ideo haec fingunt, ut eo magis ſuam impiam artem colorare poſſint.

§. IX. Diaboli porro ope Magos *mira loqui vel facere* in Definitione expreſſimus. Hic enim artium magicarum proprius finis eſt. Affectant enim homines ſemper altiora, et ſortis ſuae pertaeſi maiora appetunt, quam, quae naturali modo conſequi poſſunt. Quod peccati venenum, ab Adamo in nos derivatum, tam commune et pervulgatum eſt, ut vix ac ne vix quempiam reperias hominem,

Digitized by Google

nem, qui tetra iſta labe non ſit infectus. In mente enim hominum latet nimia quaedam curioſitas et ſubdola calliditas, qua non contenti homines donis ſuis internis et notitia rerum, a Deo et natura revelatarum, amant ἃ μὴ ἑώρακασιν ἐμβατεύειν, *ſe immergere in ea, quae non viderunt*, *Col. II, 18.* et adeo audacter, quae Magiſter maximus et natura docere recuſant, indagare, ſcrutarique annituntur. Contingit etiam facile, ut homines imprimis viles, et honoribus opibusque vacui, ſe ſe ad illas artes et τερατεργίας recipiant, quo ex fece ſua ad honores divitiasque evehantur.

§. X. *Inſtrumenta* vero, quibus Cabbaliſtae operantur, et mira patrare ſolent, ſunt *ſuperſtitioſa*, quae neque ex ſingulari Dei conſtitutione et benedictione, per verbum Dei cognita, ullam in ſeſe virtutem continent, qua ea res, in cuius gratiam adhibentur, in effectum perducatur, adeoque ex fide expectetur. Quo referre licet *characteres*, *membranas*, *ſigna*, *imagines*, *annulos*, *nodos*, *numeros*, *omina*, *faſcina*, et alia eiusmodi infinita Tartarei Regni inſtrumenta et media, quae cum vim illam, quam prae ſe ferunt, non habeant vel a Deo, quippe qui extra ordinem per omnipotentiam ſuam non operatur; vel ab hominibus, utpote qui virtutem tantam non habent; vel a ſanctis Angelis, qui nihil agunt, niſi ut miniſtri Dei, ſuperſtitioſa omnino eſſe, adeoque operationum iſtarum autorem, quae per media haec fiunt, eſſe Diabolum, per ſe diſpaleſcit.

§. XI. Primum autem inſtrumentorum eſt *Fides*, cui tanquam cauſae proprie dictae, vel ſine qua non, opus quodvis mirandum, ſive in ſolidum, ſive ex parte, referunt acceptum. Sicut enim Deus ab iis fidem expoſcebat, qui ex virtute, ab ipſo conceſſa, miracula perpetrare ſuſtinebant; ita Diabolus ſua τέρατα ψεύδους, malae fidei miracula editurus, fidem ab hominibus poſtulat, quaſi eam ſi homines non afferant, vix ac ne vix quidem opus ſuccedere poſſit. Verum a fide illa eiusmodi effectus minime omnium proficiſcuntur. Non enim *ſupernaturalis et divina* eſt, quia promisſione divina, in Sacris literis facta, non fundatur. Neque fides *humana* eſt, ſed ſuperſtitio potius et perfidia, vanaque tantum perſvaſio, ex qua tales operationes neutiquam oriri poſſunt.

§. XI.

§. XI. Alterum medium, operationum admirandarum, *phantaſia*, ſeu *imaginatio*, ſive *intentio* ſtatuitur, quam alioqui *imaginationem fortiter exaltatam* nuncupare ſolent. Et huius vim ac efficaciam Cabbaliſtae miris modis depraedicant; ex quo factum eſt, ut Paracelſus, *Tom. I. Opp. p.90.* Magiae ſuae Cabbaliſticae *fundamentum et columnam* una cum preculis et fide naturali eandem conſtituerit. Stupenda etiam prorſus ſunt, quae ab hac imaginatione R. Iizchac Lorienſis expectat, quando affirmat, quod *eius vi corpus proprium, imo et alienum mutari, attrahi ultra mille milliaria, ex elementis quatuor quodlibet produci poſſit, quicquid in hoc mundo oculis videmus, veluti vegetabilia, metalla, etc.* Verum illa de viribus phantaſiae, ſeu imaginationis, aſſerta, phantaſiae ab ipſo Satana impraegnatae convenire, extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum.

§. XII. Sequuntur impiae Cabbaliſtarum artes, ſive modi, quibus mira patrare ſolent. Primus eſt, cum *verbis ſacris*, ſive *complexis*, ſive *incomplexis*, ceu cauſae, operationes magicae attribuuntur. Taceo verborum uſum, et *ἐνέργειαν*, de qua olim Philoſophi et Medici multa tradiderunt, et illis non *ſignificandi* duntaxat, verum etiam *efficiendi* vim quandam, perinde, ut pharmacis, inſitam eſſe crediderunt. Conceptas eiusmodi medendi formulas ingenti numero legere quis poteſt apud Coelum Aurelianum, in *Chronicis C. I.* Myrepſum, *Sect. II. Andit. 298, 350, 390.* Quin etiam Plinius *Hiſt. Nat. Lib. XXIIX, 2.* quaeſtionem hanc diſceptans, multa recenſet, quae tamen brevitati ſtudentes ſicco pede praeterimus. Decantata quoque ſunt Graecorum Ἐφέσια γράμματα, *Epheſia carmina*, et ex his Heſychii famoſa illa *ἄσκι, κατάσκι, αἷξι, τέτραξ, δαμνομενεῦς, αἴσιον* etc. Nos miſſis his, quae non directe ad argumentum noſtrum ſpectant, Ebraeorum tantum קבלה מעשית *Kabbalam Practicam*, delineandam nobis eligemus, qua verba aliquot ex Sacro Codice petere, eaque nonnunquam *ore proferre*, aliquando *chartis illinere* ſolent, adiecto vario characterum rituumque apparatu. Hisque omnibus virtutem quandam miracula patrandi, divina et humana myſteria cognoſcendi, ſpiritus bonos ad ſe vocandi, malos abigendi, creaturas mutas in obſequium trahendi, adſcribunt. Sic ſolent oborto incendio verba quaedam Ebraica ianuis tertiae flammas proxime interiacentis domus inſcribere, quibus ignem ita domant, ne praeter

ter

ter illas, quas iam devoravit, plures aedes conſumere valeat. Ita moris etiam illis eſt, verba quaedam Scripturae Sacrae ovo cuidam inſcribere, ovumque in ignem coniicere, ad flammas, ne ulterius graſſentur, compeſcendas. Eodem modo ridenda eſt Talmudicorum ſuperſtitio, quam de pronunciatione vocis *Amen* fovent, cuius Theologus et Philologus Excellentisſimus Dilherrus *Lib. II. Elect. C. XX.* mentionem facit, ita ſcribens: *Quicunque reſpondet Amen pupillare,* (i. e. inconſiderate et anima aberrante) *eius libri erunt pupilli; acceleratum, eius dies accelerabuntur, vel celeriter tranſibunt: qui vero protenſa pronunciatione effert Amen, eius dies et anni prolongabuntur.* Tantum autem *nominibus divinis*, imprimis *Tetragrammato* שם המפרש tribuunt, ut per ea Moſen, Ioſuam, Samuelem, Eliam, Eliſaeum, Eſaiam, Danielem, imo Salvatorem noſtrum tot et tanta feciſſe miracula adfirmare non vereantur. Verum enim vero, verba quaecunque etiam ſint, et quocunque modo proferantur, non alium ex natura uſum, quam *σημαντικὸν, ſignificativum* habent, nedum, ut *ἐνέργεια* et efficacia quaedam rem producendi iisdem inſit. Nam, ſi praeter uſum iſtum aliam adhuc efficaciam haberent, hoc aut a natura, aut ex ordinatione divina ipſis competeret. Sed, neque a natura eiusmodi vis proficiſcitur, cum verba eadem idem apud omnes valerent, nec alium effectum haberent, cum ab incantatore et impio, alium cum a pio homine pronunciarentur. Neque hanc virtutem ex ſingulari inſtitutione et ordinatione divina nanciſcuntur, cum in ſcripto verbo, extra quod non datur revelatio, illius inſtitutionis divinae nulla uſpiam hodie obviam eſt declaratio. Accedit, quod in univerſa Scriptura, nec mandatum verbis mira patrandi, nec promisſio benedictionis, talia per verba patrantibus facta, reperitur. Cum igitur verba nec per naturam, nec per ſingularem Dei conſtitutionem, vim virtutemque talem in ſe contineant, a ſolo Cacodaemone verbis, ceu teſſeris quibusdam utente, eam proficiſci, dubitari amplius nequit. Et, tametſi Lingva Ebraica, ſanctitate, dignitate, antiquitate, puritate et verborum emphaſi, reliquas omnino Lingvas ſuperat, atque praecellit; non tamen certe alia vi, quam ſignificandi et repraeſentandi pollet. Tanto autem illius, ad illicitas operationes praeter divinum conſilium detortae, gravior abuſus

T

Digitized by Google

uſus eſt, quanto uſus ipſe, cui a Deo deſtinata eſt, praeſtabilior eſt, atque nobilior. Callidisſimum igitur Satanae, ad rerum ſanctisſimarum abuſum myſtas ſuos ſeducentis, εὕρημα eſt, cum illis perſvadeat, verba illa maioris per naturam efficaciae eſſe, quae ſunt orta a lingva digniore, et res ſanctiores exprimente. Neque enim vel rei ſanctae ſignificatio, vel lingvae dignitas ullam vocabulis qualitatem phyſicam ἐνεργητικὴν imprimere et ſuppeditare poteſt. Ceterum putidisſimum mendacium eſt, quod Moſes, Ioſua, Samuel, Elias etc. imo Chriſtus ipſe, miracula talia per *Nomen Schembamphoras* patrarint. Quomodo enim ipſi artium Magicarum patroni eſſe potuerunt, qui artes Magicas, φαρμακείας, et incantationes omnes ſevere, et ad Orcum usque, proſcripſerunt. An ita Filium Dei ſanctisſimum cum hoſte ſuo coniuratisſimo, in perniciem humani generis, colluſiſſe, citra ſummae et extremae impietatis crimen ſtatuere quisquam auſit?

§. XIII. Sed progredior ad *nomina ficta, barbara, apocrypha, abſurda* et *male cohaerentia*, quibus tantam virtutem et efficaciam Cabbaliſtae tribuunt, ut per ea ſpiritus bonos ad ſe vocare, malos abigere, creaturas mutas in obſequium trahere, imo mortuos reſuſcitare poſſe, iactitent. Hinc illud extat Mirandulani Comitis in Concluſionibus, ubi ſic garrit: *Quaelibet vox virtutem habet in Magia, in quantum Dei voce formatur.* Imo in alia Concluſione, quod mirum dictu, ita ſentit: *Non ſignificativae voces plus poſſunt in Magia, quam ſignificativae; quaelibet enim vox virtutem habet in Magia, in quantum Dei voce formatur, quia illud, in quo primum Magicam exercet natura, vox eſt Dei.* Quare Magiae Theoph. Paracelſus nimium addictus Philoſoph. Sagacis *Lib. I. Cap. VI. pag. 70.* ita ſcribit: Die dritte Species (Magicae) lernet machen Wörter/ die da alle die Krafft haben/ ſo von Himmel in den Kräutern ſind/ als ein Exempel: alles das der Artzt vermag/ ſolche Species, durch Wörter zu vollenden/ denn was die natürliche Ordnung giebt etwa ihr ſelbſt/ das giebt auch die Kunſt. Und dieſe Species heiſt mit ihren rechten Nahmen *characteralis*. Et *p. 113.* Daß ihr mich weiter verſtehet/ was die Natur vermag in einen fremden corpus zu vollbringen. das vermag auch der Menſch/ daß er dieſelben operationes dahin mag bringen/ da die Conception mag hingebracht werden/ alſo daß ein Bild/ das weder Fleiſch noch Blut hat/ einen Cometen gleich iſt und wird

daß

daß auch die Wörter und Characteres Krafft haben / ſo wohl als Artzney.

§. XIV. Quo etiam referri poſſunt Cabbaliſtarum Alphabeta; ſpeciatim XXII. Alphabeta Abrahami, quae Reuchlinus *Lib. III. de Cabb. p. 872.* conſignavit, itemque plura alia, quae in libro *Iezira* exhibentur, et ad hanc artem applicantur. Nec non Nomen Tetragrammaton, quod per תמורה *Temurah* et permutationem literarum, earumque multivariam combinationem a Cabbaliſtis per *quadraginta duo nomina* exponitur, quibusve ſtupenda praeſtari poſſe, fabulantur. Audiamus Capnionem, ampullis hanc artem depraedicantem. *In hanc utilitatem*, inquit, *clementes Angeli ſaepe figuras, characteres, formas et voces invenerunt, propoſueruntque nobis mortalibus et ignotas et ſtupendas, nullius rei iuxta conſvetum linguae uſum ſignificativas, ſed per rationis noſtrae ſummam admirationem in aſſiduam intelligibilium perveſtigationem, deinde in illorum ipſorum venerationem et amorem inductivos, non enim ſecundum inſtitutum aut placitum hominis ſignificant, ſed ad placitum Dei. Lib. III. de Cabb. p. 841.* Et, ut his dictis ſuis fidem faciat, exemplum ex Cabbaliſtarum traditionibus multis verbis recenſet. *Fuit quondam in diebus Antiochi, Eupatoris, Iudas Mattathiae filius, bellator nobilis, et dux belli pro legibus, templo, civitate, patria et civibus Iudaeorum acerrimus: contra quos cum Antiochus et illius omnis exercitus irruerent, dedit Iudas angelo monitus commilitonibus ſuis, ceu belli teſſeram, hoc nobile ſignum,* מכבי *ut ſe quatuor his literis fortiter in pugna exhortarentur, promittens, quod futurum eſſet ſignum victoriae Dei, quod Iudaeorum milites animo laeto in vim magnae conſolationis acceperunt, et ſub eo ſignaculo valide pugnantes interfecerunt in caſtris Antiochi virorum quatuordecim millia et ingentem numerum elephantorum cum iis, qui ſuperpoſiti fuerant. Quo factum eſt, ut princeps belli Iudas, ſic antea dictus, deinceps ab omnibus Machabai cognominaretur, eo, quod hi quatuor characteres ſyllabice ita ſonarent. Cumque tanta eius ſigni virtute tot ſe crederent praeliorum victores fuiſſe, admirati ſunt tribuni militum et ſapientes in Iſraël, rogantes Iudam quonam modo tot triumphi ſub hoc eius dato ſigno contigiſſent? et reſpondit Iudas Maccabaeus in iſto ſigno praeſentiam eſſe Dei omnipotentis ineffabilis. Oſtenditurque illa verba Moyſi Exod. XV. dicenti:*

מי כמור באלהים יהוה *id eſt, quis ſicut tu in fortibus Tetragrammate? Hi namque quatuor characteres haec verba deſignant, tanquam eorum initia, ubi Iod ſignificare nomen tetragrammaton plane deprehenditur, ac eſſe revera* מכבי *divini nominis 72. literarum per aequalitatem numeri memorabile ſymbolum. Eo commoti, qui erant de Iudae exercitu iterum pugnantes proſtraverunt non minus 35000. ut ſcripta indicant, praeſentia Dei mirifice delectari et patria voce omnipotentem dominum* יהוה *benedicentes. L. III. pag. 863.* Verum haec, ut alia omnia, meram ſuperſtitionem habent, et, ſi eiusmodi operationes ex ſignis illis profectae ſint, ex nullo alio fonte, quam Tartarea palude dimanarunt. Hinc quicunque iis utuntur, conſortes Daemoniorum redduntur.

§. XIV. Cum hoc Magiae modo coniungendus eſt ille, quo mediante *precularum, ex Scripturis deſumptarum, et ad carminum ſimilitudinem compoſitarum* tantum tribuunt Cabbaliſtae, ut Daemones elicere, et cum iis verba miſcere, tonitrua, tempeſtates et pluvias ciere, ventos pellere, naves figere, ſegetes perdere, ſerpentes domare, arma obtundere, morbos curare, amorem conciliare, et huiusmodi infinita alia, etiam contra naturam, ſe praeſtare poſſe confidant. Hinc factum, ut actus, quo dictis carminibus ac verbo ea perpetrabantur, *incantatio*, ſeu *incantamentum* dictus ſit, a cantando, quia cantando ille quandoque peragebatur. Etiam *Empſalmus* dicitur, a quo incantatores propterea *Empſalmiſtae* audiunt, quia frequentius ex Pſalmorum verbis verba incantatoria petere conſveverunt. Quem morem ad Davidis exemplum, cithara cantando perfidum ac Diabolicum Saulis animum demulcentis invaluiſſe, nonnulli cenſent. Quid? quod ſapientiſſimus Iſraëlitarum Rex, Salomo, incantationes, quibus miranda perpetrarit, compoſuiſſe putatur. De caetero Preces, quibus angelos e ſuperis vocare, cum illis clandeſtina colloquia muſſare, expreſſas voces miſcere, et quemlibet ſymbolico ſuo nomine invocare queant, Reuchlinus expreſſit, quando ſic inter alia dicit: *Receperunt Cabbalaei de libro palmarum, pias orationes ad Deum 72. verſibus habendas, quorum unusquisque nomen Tetragrammaton cum nomine angeli ex 72. continet, uno haud ab re excepto, qui principium Geneſeos indicat: elevant autem, quantum fieri poteſt, animas ſuas iſtis verſibus ad Deum, fortiter aſcendendo de angelo ad angelum. Et ſemper inter laudes Dei tot et tantas ab al-*

tera

tera ad alteram in ſublime tendendo. L. III. Cabb. p. 844. ſeqq. ubi ex inſtituto de his precibus egit et ſingulas conſignavit; quas propter prolixitatem hic adiicere noluimus. Eiusdem vero ſingulae ſunt valoris, quam cetera Magicae Cabbalae momenta, nihilque amplius, quam intoleranda et impia verbi divini profanatio.

§. XV. Affinis denique huic Magiae per verba incantantis modus eſt, cum operatio *characteribus, figuris, imaginibus* et *annulis*, ceu cauſae tribuitur. Faciunt huc *Teraphim Labanis*, divinationis Magicae inſtrumenta, de quibus vide ſis Seldenum, *de Diis Syris, Synt. C. III.* Athanaſ. Kircherum, *Oedip. Aegypt. T. I. pag. 258.* Addatur Excellentisſimi Dn. Io. Chriſtoph. Wichmanshauſen Diſſertatio *de Teraphim* nuper habita. Nec minus huc ſpectant תלסמאן *Tilſemat*, ſeu *Taliſmae* Arabum, quas Celeb. Hottingerus, *Hiſt. Orient. L. I. C. VII.* cum Teraphim convenire putat. Ex recentioribus *Ludov. Dulcis*, parum laudabili exemplo, fictitii Salomonis et Hermetis *ſigilla* edidit; ex quibus nonnulla Delrio, *Mag. Disq. L. I. C. IV. Q. 1.* repetit. Inprimis Paracelſus in *Lib. Archid. Magicae* characteres multos cumulat; et alibi *de Philoſ. occulta* de his ſigillis agit. At figuris eiusmodi vim quandam ineſſe, prudenter olim Hippocrates, aliique plures, negarunt. Maimonides *Moreh Nev. C. XXVII.* mendaces et ſtultos eſſe merito pronunciat, quotquot ſoli figurae, ſcripturae, lineamentis tantam efficiendorum mirabilium poteſtatem asſignent. Non enim ratione *materiae*, haec talia virtutem iſtam habent, cum metallum, gemma, cui figura iſta imprimitur, hanc vim a natura minime accepit; quod ipſimet confitentur. Neque ratione *formae*, ſeu *figurae*, utpote, quae tota eſt ab idea in mente artificis, quae in exteriora non agit. Neque ex *coeleſti influentia*, quod imagines conſtellationibus et aſteriſmis ex hominum arbitrio docendi cauſa conſtitutae ſunt. Sic igitur omnis characterum operatio ab entibus humanae rationis promanat, effectus vero, ſiquis exinde ſequitur, non, niſi Diabolo eſt adſcribendus.

§. XVI. Nec omittenda ſunt *verborum, characterum, ſignorum, amuleta*, quae collo, vel alii corporis parti ad mira producenda alligantur. Paucis autem notandum eſt, quod Amuleta in *naturalia, ludicra et magica* diſtingvantur. Naturalia ſunt, quæ ex natura deſumpta, & corpori humano applicata effectum dare ſolent. Ludicra ſunt, quæ

T 3 nequi-

nequiores ad mala peragenda inſciis commendant, cum re ipſa nihil aliud ſint, quam mera ludibria, omni ad effectum producendum poteſtate deſtituta. Magica vero amuleta ſunt, quae vel a Magis a Daemone edoctis, orta, vel inſtinctu eius, licet abſurda in ſe ſint, commendata, eiusdem quoque cooperantis ope effectum in corpore, cui ſunt appenſa praeſtant. De naturalibus hic ſermo non eſt, quae ex naturali indole effectum ſuum praeſtare, concedimus; ſed de ludicris tantum, et Magicis imprimis, quae nullum, aut ſi, non niſi a Diabolo, habent effectum, adeoque penitus ſunt reiicienda. Huc etiam pertinent Iudaeorum תפלין *Thepillin*, ſeu *phylacteria*, puta tum של ראש *capitis*, tum של יד *manuum*, quae etiam a prima inſtitutione, *Deut. VI, 6, 8.* memorata, ad uſus plane heterogeneos detorta, ſuperſtitionem magicam redolere, nullus dubito. Et, ſi forte alia ſunt inſtrumenta, quae Cabbaliſtae in conficiendis operationibus ſuis Magicis in ſubſidium vocant, quorum etiam falſitatem dum alii ſubinde ad oculum demonſtrarunt, non eſt, ut omnia prolixius perſequar, aut plura conſtipando Lectori creem moleſtias. Quapropter hic pedem figo, et Deo T. O. M. a quo primordia cepi, et cuius ſub umbone hos labores nunc finio, pro conceſſis viribus gratias, quantas mente concipere poſſum, perſolvo decentiſſimas.

TANTVM!

Digitized by Google